EE.83.XXXI.
18179|B

einde ab eo, qui facerit in
ebat, non tamen vt d
ſtudioſus, ac iure R
rator, ideſt Carolo V

12

41548

CORTICIS PERUVIANI

VINDICIAE

DISSERTATIO

PHYSICO-PRACTICA

ANTONII CAELESTINI

COCCHII

In Romano Archilyceo Medicinae Lectoris.

Em̃o, ac Rm̃o Principi

FRANCISCO

S.R.E. CARDINALI

BURGHESIO.

ROMAE MDCCXLVI.
Ex Typographia Komarek in via Curſus,

Praeſidum Facultate.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Emo, ac Rmo Principi

FRANCISCO

S.R.E. CARDINALI

BURGHESIO

ANTONIUS CAELESTINUS COCCHIUS

PERENNEM FELICITATEM.

CORTICIS PERUVIANI *vindicias in autumnali ruſticatione apud Arcem, ubi Caeleſtinus V. delituit,*

elucubratas, Tibi, Cardinalis Amplisſime, nuncupandas eſſe cenſui, nedum quia EMINENTIAE TUAE *familiaris dicor & medicus; verum etiam quia corticis ejuſdem virtute Te jamdudum tertiana duplici ad perniciem tendente vindicavi; licet aliquis ex Aulicis tuis veluti panico timore perculſus muſſitaret, ac remedio ſaluberrimo adverſaretur. Excipe igitur miti ſupercilio hanc Phyſico-practicam diſſertationem, tanquam hominis Tibi addicti munuſculum, & famuli obſequentiſſimi argumentum: nam ſi graviores curae permiſerint ut aliquantiſper illam excutias, haud Tibi*

diffi-

difficile erit tum ratione tum experimento judicare, quod labor iſte qualiſcunque ſit, medicae poſteritati aliquid luminis adjungere poſſit. Soſpitet Deus Opt. Max. EMINENTIAE TUAE *Perſonam ac Dignitatem, noviſque in dies augeat incrementis.*

Ingenuis Medicinae Cultoribus

PRAEFATIO.

HUccine rerum venimus, Viri doctiſſimi, ut non modo vulgi mancipia, ſed etiam ludibria evaſerint Medici? Quidquid dicant, conſulant, operentur, apud Cynicos quiritantes conamen eſt ut imponant. Si tuſco, aut latino ſermone inſtructi ſententiam ſuam eleganter aperiant, Cenſor inquit, non verborum phaleris, nec eloquentia morbos profligari. Si geometriam oſtentent, obiicit ſtatim, quod nec parallelis, nec iſoſcele, nec rhomboide indigent aegri; & tamen Hippocrates in epiſtola, quam ad Theſſalum filium ſcribit, *conſilio dat addiſcendae medicinae, & monet ſeriò, ut ante omnia arithmeticam & geometriam probe addiſcat*. Inſtat Cenſor ex Boerhaavio. *Sed geometria eſt tantum contemplatio ſuperficierum:*

ni-

nihil enim aliud faciunt geometrae. Et ſane monadem ex Leibnitſio, & vim attractricem ex Nevvtono pronunciare, hodie pars maxima ſapientiae eſt: tres aut quatuor propoſitiones ex Tacqueto, totidemque aphoriſmi ex Boerhaavio decerpti conſtituunt hodie Medicum, ſeu potius Medici ſuperficiem: ecce ad rem arripit Cenſor analogiam. Olim ſolido marmore conſtabant templa, thermae, circi, coloſſique, nunc parcitur montium venis, & conciſa rudera in pagellas multiplicantur, quae tenaciori viſco inter ſe junctae, ac veluti ferruminatae ruſticam parietis ſuperficiem corrigunt, & exornant: quin ex Galbae diſrupto crure, aut ex dimidio Nerone praenobilis ara conficitur. In ſuperficialem medicum recidit argumentum. Caii Sulpitii ſupervacuam in aſtrologia, & Sexti Pompeji in geometria diligentiam Cicero 1. de offic. reprehendit: nam iſtae artes, etſi in veri inveſtigatione verſantur, tamen earum

rum ſtudio a rebus agendis abduci contra officium eſſe judicavit, Si verò Medici etiam in Republica verſati fuerint, concludit Cenſor: ergo ad praxim medicam parum incubuere. Sed hallucinatur: Baco enim Verulamius Britannici ſigilli cuſtos, inſignis politicus fuit & inſignis medicus. Si Poetices jejuni omnino non ſint; ecce praeceps conſequentia: ergo ad inutilia potius, quam ad medicinae exercitationem ſe contulerunt; & tamen Hieronymum Fracaſtorium, ut poetam ſimul & medicum celeberrimum, immo ut Virgilium medicè loquentem unanimes veneramur.

—— —— —— juvat in nova Muſas
Naturae nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi ſi non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxiſſe corona,
At ſaltem ob ſervata hominum tot millia, dignum
Cenſuerint querna redimiri tempora fronde.

Syphil. lib. 2.

Si tandem anatomen jactent, & huma-

manum corpus tabulis, quas memorat Tullius lib.1. de orat. conferre adnitantur, inſurget Lemortianus homo, & *doctrinam cadaveroſam* vocitabit, & Celſi quoque auctoritatem adducet. *Neque quicquam eſſe ſtultius, quam quale quid vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imò jam mortuo. Itaque demum mortui praecordia, & viſcus omne in conſpectum latrocinantis Medici dari: quod neceſſe ſit tale eſſe quale mortui ſit, non quale vivi fuit.* Uter, ſeu pellis, qua vinum & oleum deferri ſolet, quondam pecoris viventis corium & ſudorem & ſcabiem admittebat. Quid plura? An ut Medicus placeat, & fidem popularem aucupetur, ſat erit, per Civitatem diſcurrere, & nihil ſcire?

Sed neque medicamenta àb infamia ſecura ſunt: ſiquis enim in hectica ariditate lac Aſininum praetulerit, reſpondet Cenſor & caſeum inde formari in ventriculo; nec refert, quod ſero abundet: mentitus eſt Avicenna; *aqueitas*

lactis

lactis attenuat, abluit, ſolvit: & mentitus eſt Duretus apud Hollerium; *lac Aſininum neoteriſmum facit*, ideſt renovationem. Siquis in cachexiam, contumaceſque viſcernm obſtructiones calybe pugnaverit, aut ſcirrhos, aut carcinomata molietur, quamvis declamet Boerhaavius. *Ferrum eſt medicamentum nobiliſſimum in medicina, & potius carerem omnibus vegetabilibus, & animalibus in morbis chronicis curandis, quam ſolo marte; nam eſt ſummum aperiens, aſtringens, & ſtypticum, prout varie praeparatur*. Sed ante Boerhaavium Andreas Baccius id innuit: *aquaæ ferratae aperiunt ex accidenti, nimirum quia exiccando juvant, ac villos denſando viſceris*. Siquis mercurium dulcem rite ac recenter meteorizatum contra ſyphilidem, aut rabioſa inteſtinorum inſecta exhibuerit, morbo deterius remedium exhibuit, & chemicè praevaricatur. Siquis ad pondus indicationis, laudanum liquidum Thomae Sydenham iteraverit, cave, in-

quit

quit Cenſor, ne is, quem dolere nolumus, dolere amplius poſſit. Siquis demum in febrem periodicam pravae indolis Peruvianum corticem juſſerit, audacter opponet, quod ſit cortex adulator, infidus, lethargi, aut parotidum, & mille obſtructionum parens. Ecquis iſte Cenſor? Medicus ex imperitia & livore, aut ex invido, imperitoque Medico vulgus loquitur, & echo eſt. Has igitur aliaſque ejuſmodi ineptias, quae artem noſtram obnubilant, diſcutere oportet ac diſſipare. Vos interim, Viri doctiſſimi, opellam hanc fronte non aſpera excipite, & ad aliorum valetudinem diu valete.

Im-

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.

DIſſertationem Phyſico-Practicam, cui titulus: *Corticis Peruviani Vindiciae*, a viro clariſſimo Antonio Caeleſtino Cocchio in Romano Archilyceo Medicinae Lectore, peculiari cum doctrina, & eruditione elucubratam juſſu Rmi Patris S. A. P. Magiſtri, attente perlegi, & cum nihil in ea offenderim, quod Catholicae Fidei, & morum probitati, aut reverentiae erga Principes adverſetur, in publicam lucem acq; utilitatem edi poſſe arbitror, & plane ſuadeo. Ex Quirinali Idibus Martiis MDCCXLVI.

Marcus Antonius Laurentius SS. D. N. BENEDICTI XIV. intimus Cubicularius, & Archiater.

Imprimatur

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Praed. Sac. Apoſt. Palat. Magiſter.

COR-

CORTICIS PERUVIANI *VINDICIAE* DISSERTATIO PHYSICO-PRACTICA

CAPUT I.

Quae nos jampridem in aperitione Horti Botanici ſupra Janiculum habuimus, praemittuntur.

MEdicina quondam, Auditores ornatiſſimi, *paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim: deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam*

 mi-

minus negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidiſque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Sic Sexti Caeſaris Praeceptor inquit, ad Lucilium epiſt. 95. Porro primis illis, ac fortunatis hominibus, quum nempe Mundus recens erat, nec iniquitatis fermento imbutus pro cibo lac, nemora ipſa & cava rudera pro cunis, & quaedam abſtinendi ſeveritas, quae omnia ſenſuum blandimenta contemnit, quaeque tutior Medicinae pars eſt, pro remediis ſuppetebant.

Sirpium fere omnium natura ad caelum aſſurgit noſtrae perfectionis aemula. Nos autem fruſtra ſpectamus caelum, ſi alteri parti, quae terra eſt, fragili, ac querulae inſatiabiliter indulgemus. Plantarum fetus intra ſemina, veluti intra tot ovula, ut Empedocles ajebat, inſculpti ſunt; *nam plantula, amnio contenta, percolato a chorio humore ſenſim augetur, & varias ſubit formas; donec acquiſita debita compage & ſtructura, emancipetur, ſeparetur, & decidat a parente, ſuique juris facta in determinatum ſervetur tempus, & advenientibus exterioribus excitetur ad vegetationem, & propria vi, energia ſcilicet partium, quibus componitur, in novam excreſcat formam, & molem*. Malp. Seritur ſemen, & terrae ſuccus in duplici

ejus

ejus tunica iterum atque iterum percolatus loborum ſubſtantiam penetrat, & ſuccum ibi coactum ſolvit, ac diluit, & in corpus interius, ſeu medullam illabitur. Cur tamen promtius radiculam verſus ruit? ob rectam ſcilicet viam. Radicula oris inſtar, e terrae ſinu alimentum una cum aere aethereque jugiter excipit, & plumulam verſus pellit, eamque auget, & mox extra terrae ſuperficiem germinis nomine protrudit. Dilatatis ſenſim productiſque in latum, altumque fibris, tubulis, & Malpighianis tracheis ita ſemen exiguum non in frutices ſolum, ſed in eas etiam arbores adoleſcit, quae robore, brachiiſqne ſuis, proceritate, ac frondoſo ſupercilio in aſtra propemodum minantur. Idem eſt ſuccus nutritius, ſeu nitrum pluvia ſolutum, tamen ſeminum, & radicum varios poros pervadens varias particulas, variamque naturam induit, itaut in napello venenum, in anthora antidotus evadat. Sed quanam vi nutritius ſuccus ad arborum uſque cacumina aſcendit? Plures aſcenſus cauſam in vi fermentatrice reponunt: nonnulli ad tubulos, quaſi tot anthlias ſuccum ſublevantes, alii ad aeris in tracheis dilatationem, alii ad ventum plantas agitantem confugiunt; alii denique motum terrae diurnum in ſubſidium accer-

 ſunt.

ſunt . Ecquid dicam de ſucci nutritii circulatione ? Poſtquam ſuccus e radice per truncum ad ramos , ad extrema folia , & flores pervenit, parteſque omnes nutrivit, ille idem per alia vaſa in plantis ferulaceis conſpicua , & circulatoria dicta radicem verſus refluit , ut novo ſucco e terra aſcendenti mixtus poſſit denuo ad plantae ſuperiora efferri , ut ejus vegetatio perenni quadam circulatione inſtauretur . Stat pro corde nodus ille, quo radix cum trunco in terrae ſuperficie conligatur . Succi autem nutritii circulationem arguunt primò ex eo quod editiſſimae arbores quantum vertice ad auras , tantum radice ad tartara tendant: ergo radix ſucco deſcendente alitur . Arguunt ſecundò quia ſi plantae radices aliquae in aqua demerſae ſint , aliis extra aquam relictis; hae non minus humeſcunt , ac virent , quam illae deſcendente ſcilicet aqueo ſucco etiam ad radices , quae extra aquam propendent . Arguunt demum ex Malpighio : ſecto tranſverſim certarum arborum cortice , limbus ejuſdem ſuperior intumeſcit , qui tumor interceptum eſſe admonet ſucci nutritii deſcenſum .

Aeſtate praefervida ſuccus nutritius diſſipatur , & herbae intereunt ; horrida hieme ſtirpes exareſcunt , quia frigore planta-
rum

rum poros conſtipante nutritius ſuccus figitur, ac torpeſcit. Redit juventus anni, & aucta ſolis actione nitrum pluvia ſolutum eo motu excitatur, cujus vi germinant, virentque plantae, mox & in flores fructuſque luxuriant: tunc pubeſcere in herbis, & veluti picta in floribus remedia, & fere totam quanta eſt per vegetationem in almo Palladis horto, naturam intuemur. Miramur aliquando plantarum adulteria jucunda mixtione legitimis nothos ſuperinduxiſſe partus; miramurque poma ex trunco non ſuo pendere, *quum pyrus invito ſtipite mala tulit*. Propert. in Vertun.

Medendi ſcientia artis oculus, qui ad nauticam pyxidem, ſeu anatomico-mechanicam veritatem; prudentia verò manus eſt, quae ad praxeos clavum tota dirigitur: non enim narthecia, neque ampla remediorum ſupellex ex naturae triregno coacervata, neque ferramenta plurima parari debent in morbos; ſola ſimplicium facultate dimicandum eſt: *Firma memoria tenebo medicamenta, & ſimplices facultates: ſint & in memoria morborum curationes, & horum modi quotupliciter, & quomodo in ſingulis ſe habent: hoc enim principium eſt in Medicina, & medium, & finis*. Hippoc. de decent: ornat. Aqua fontis herbis ipſis ſimplicior eſt,

 quae

quae juxta chemicam hypotheſim ſale, ſulphure, mercurio, phlegmate, & terra fatua coaleſcunt. *Super aquas* (uſurpare libet Jo. Pici Mirandulani textum hept. lib. 1. cap. 2.) *ideſt fluxas diſpoſitiones materiae quaſi terrae praeſentes ferebatur Spiritus Domini, ideſt vis cauſae agentis, non uti cauſa principalis, ſed uti Spiritus Domini, ideſt organum Divinae Artis, quomodo ſpiritus noſter vitalis organum animi eſt . . . Quid aliud expectabamus, quam ut poſt illam aquarum congregationem induceret ſtatim terram herbarum, fruticum, arborumque fecundam?* ibidem cap. 4. Omnes aquae a ſalſo principio, nempe e mari proficiſcuntur, & quo magis ab eo recedunt, per cavos, & ſubterraneos ductus coaeva & ſcabra corpuſcula deſtituunt, & ſolo itinere ac curſu mites fiunt: quamobrem commune alcali jure optimo dicerentur: nam liberis ſuis ſpatiolis cujuſvis figurae ſales ſive acres ſint, ſive acidi, ſive muriatici, auſterive, abſorbent, diſgregant, & ſecum eliminant. Sed audire fas eſt latinum Hippocratem Celſum lib. 3. cap. 9. *ante Herophilum, & Eraſiſtratum fuit Petron quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis veſtimentis operiebat, ut ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret: deinde ubi paulum remitti coeperat*

rat febris, aquam frigidam potui dabat, ac ſi moverat ſudorem, explicuiſſe ſe aegrum judicabat; ſi non moverat, plus etiam aquae frigidae ingerebat, & tum vomere cogebat. Aureum ſanè ad rem noſtram exemplum. Quod ſi fracta glacie ſubtile nitrum induerit aqua, omne rigore addito punctum tulit, nam acutos ſalium angulos obtundit, & liquidorum igniculos obruit, & ſolidorum fibras conſtringit; ovulorum etiam, quae vermes in ſemine ſunt, cicatriculas fervente caelo ita comprimit atque coarctat, ut vitales motus inchoari quaſi hiems manufacta prohibeat. At quò me rapit impetus orationis? celeberrimus ille inter veteres Medicos Chiron aetatem fere in Pelio monte conſumſit, ut herbas inveſtigaret, nec alias profecto niſi bryoniam nigram, & centaurium novit, ut a Nicandro & Plinio advertitur. Sola ariſtolochia apud Homeri Scholiaſten in Euriphili vulnerum curatione memoratur. Nec praeſtitit, ut teſtatur Homerus, herbarum ſcientia Machaon; iiſdem ſcilicet herbis curabat, quas Pater Aeſculapius a Chirone didicerat. Non annis, ſed pene ſeculis opus fuit, ut ad mediocrem plantarum notitiam perveniretur. Pauca admodum ſcripta de hac re, ut Dioſcorides affirmat, nobis reliquit Antiqui-

 tas.

tas. Nolo hic tamen Botanices progreſſum, & Scriptorum catalogum, qui ad noſtra uſque tempora extiterunt, inſerere. Satis illud ſit innuere, quod *Ars ectypa Divinitatis*; ſeu *Ars Dei in materia eſt*, per quam plantae vigent, & pugnant adverſus morbos: erumpunt enim quodammodo explicando menſuras, & numeros, & pondera ſua, quae occultè acceperunt ab Eo, qui *omnia in numero, pondere, ac menſura diſpoſuit*, hoceſt ſubjecit regulis Arithmeticae, Staticae, ac Geometriae: quibus profectò legibus & quae inanima, & quae animata ſunt corpora, adſtricta eſſe non dubitamus.

Febris Tiſiphonis facem in manu gerens, & nulli parcens ſexui, formae, aut aetati, a Praxitele inſculpta fuit. Eadem pro Dea Ethnicis adorata: *qui tantus error fuit, ut pernicioſis etiam rebus non nomen Deorum tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur: febris enim fanum in palatio, & aedem, larum, & aram malae fortunae exquiliis conſecratam videmus*. Cicero de natur. Deor. lib. 3. Ecce nunc febri, morbiſque ceteris, naturae quaſi armamenta, facta ſui compos deſtinat Roma. Initio plantae individuum, & facultates, ceu mos eſt, exponemus, ut ex hiſce feriis atque otio utile aliquod exigamus: nam otium ſine literis aut torpor

eſt,

eſt ; aut a brutorum vita diſtare nequit: utque indefeſſa vertigo caelum rotat, & maria aeſtibus inquieta ſunt; ita nos continuatis negotiis, & quodam orbe redeuntibus exerceri debemus, non veriti ab iniquiſſimae linguae telo aliquam plagam; a preſſura, quam patitur, vires ſumit ingenium: *elater enim*, ut inquit Jo: Wallis de hydroſtaticis cap. 14. prop. 13., *utcunque in ſe fortis, niſi comprimatur, nil agit, utpote cujus tota vis activa eſt tantùm conatus ſe reſtituendi in ſitum, unde detruſus fuerat*. Immortalis famae Lanciſius una cum aliis ſapientiſsimis Archiatris me adhuc imberbem in totius Status Eccleſiaſtici Protomedicum delegavit. Arrepta igitur occaſione, dum latraret ſirius, montem, ut ajunt, Sibyllae peritiſsimo cum viro aſcendere, & ibi aliquot dies inter paſtores immorari non renui, ut thoram Valdenſem, lunariam botrytin, contrayervam noſtratem, tormentillam, biſtortam, vincetoxicum, alchimillam, & alias hujuſmodi rariores plantas evellerem. Secundis curis rei herbariae ſtudium perluſtrare neceſſe eſt, ut ipſe docendo docear, & ne quis obtrudere nobis poſſit, quod reſpondit Jeſus Nicodemo Judaeorum principi: *tu es magiſter in Iſrael, & haec ignoras?* non enim vos diſcipulos, ſed audi-

auditores appello. Bonas utique artes in votis habui, *docti tamen nomen*, ut cum laudato Pico loquar in apol. quaeſt. *mihi nec vendico, nec arrogo*. Hujus igitur horti Medicae Palladi dicati praefecturam ultro mihi, & non ex petitione commiſſam, majori qua potero ſedulitate adimplebo, & ideo calloſum hominem, quem videtis, in rude ſervitium accerſivi. Herbas primùm, quae longo experimento jam tritae ſunt, deſcribemus; & tandem exteras, etſi pleraeque raritatis duntaxat gratia coluntur. O utinam herbarum, quae non ex India ad nos veniunt, ſed juxta vias, rivoſquè paſſim ſe produnt, virtutes aut ſcelera perquireremus. *Nummularia*, verba ſunt Georgii Erneſti Stahl Pathol. Med. dogm. part. 3. ſect. 1. memb. 2. *quam tamen hominibus ad vitia pulmonum ſalutarem eſſe aſserunt, Ovillo generi phthiſicas pulmonum corruptiones inducit*. Ranunculus paluſtris, ſeu apiaſtrum, nam apii folia aſsimulat, eos excitat motus, qui riſus imaginem repraeſentant, ut rabioſi canis morſus ſaevam ſui generis anginam, & hyſterica longe pejorem transfundit: *ſerenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem qui deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur laeta moerentes*. Pacatus in panegyri-

co

co Theodoſii auguſti. Bardana cujus follicu-
los, ſeu potius calyces parvis veluti uncis
inſtructos, jacere in ſe invicem pueri ſolent,
nec non viridia juglandium putamina, vel
aequant, vel aemulantur ſarſae radicem,
quamvis haec ab America omnem fidem
mutuata ſit: *radix enim bardanae*, ut Ba-
glivus refert Prax. Med. lib. 1. cap. 9. *a
pluribus doctiſſimis Viris pro magno ſecreto ha-
betur ad curandam luem Gallicam*. Metallo-
rum princeps, Auditores ornatiſſimi, ex-
hibet analogiam: aurum eſt corpus ſummè
fixum, & igni quoque obluctatur: demens
opinio, & ictericus color, ſeu faſcinantis
ſulphuris velamen diſtinguit a terra: ſacram,
ut cecinit Poeta maximus, famem excitat,
Danaen non unam expugnat, perſonata ob-
ſequia exigit, politicaque deliria inducit.
Ne vobis, quaeſo, paradoxa videantur,
quae dicimus, nam amor veritatis, & phi-
loſophica libertas nos impulit ad dicendum;
ſed minerale regnum cum vegetabili miſcen-
dum non eſt. In haemoptoe ingenuus & prae-
nobilis fungus, quem eminentiſſimus Hie-
roſolymitani ordinis Magiſter ſummopere
cuſtodiri curat, iterum atque iterum com-
mendatur. *Fungus typhoides eſt palmaris alti-
tudinis, ejuſque pediculus tres aut quatuor un-
cias longus & ſcaber, capitulum minoris ty-*
phae

phae paluſtris clavam aliquatenus repraeſentat, quod dum viret, ſi digitis prematur, veluti ſanguineum ſuccum fundit; per maturitatem granis minimis innumeris panico non abſimilis exaſperatur, undique cocci colore ſplendentibus. Aeſtatis munus eſt; aliis tempeſtatibus temere & fruſtra quaeſieris: adſtringit maxime, unde ei praecipua laus in cohibendo ſanguinis profluvio: cujus gratia Melitenſes ex Gaulo inſula illius in pulverem ſoluti ſcrupulum aut amplius vino, vel juſculo dilutum bauriunt, ducta a Majoribus & nunquam fallente medicina. Oritur in ſcopulo Melitae inſulae adjacente; & ideo non ſolum fungus coccineus, & typhoides, ſed etiam fungus Melitenſis vulgo appellatur. Paulus Bocconius Panormitanus, Sereniſſimi magni Hetruriae Ducis olim Botanicus opuſc. de plantis rarioribus. Generoſior forſitan fungo iſto (non polygonum, per cujus nodoſa cribra ſuccus trajectus perficitur, non millefolium, cujus efficaciam fatetur Stahl) urtica eſt plebeja nimirum planta, & lippis etiam notiſſima: rigidis mehercule, & quaſi cauſticis villis munita ſunt folia, quae cutem mordicus tenent: in nerveas enim papillas ferme ut cunei in aſſeris rimam induntur, & aſperam ſui memoriam relinquunt, & quum in externo vulnere, ulcereque ad obſtruen-

ſtruenda venarum oſcula nil praeſentius igne ſit ; vim quoque ignis adſtrictoriam , & vere balſaminam urticae ſuccus imitatur in ſepulta intra pectus tubulorum diaereſi ; modo alta atque immanis tuſſis non obſtrepat, quae coeuntes fibras ſpaſmaticae oſcillationis concuſſu ſcindit , dilaniat , perdit. Camphora , reſina perutilis hyſtericae praeſocationi , ex inſula Borneo in Aſia , ut myrrha ex Arabia praeſertim advehitur , & nos ex abrotano mare quaſi camphorae effluvia ſentimus . Maximum antipyreticum eſt hodie Peruvianus cortex , qui fere vicarius eſt bilis , quum ſcilicet bilis vitio aliquo corrumpitur . Sed ne credatis novercam naturam , inter febrifuga recenſeri poſſunt gentiana , chamedrium , centaurium minus , & cortices tamariſci , fraxini , cupreſſique ; haec tamen omnia non aeque incidunt glutinoſam , crudamque lympham , nec acro-ſulphureas particulas aeque cicurant , nec ſanguinis villos in ordinem redigunt , muniunt , & ita conſtringunt , ut acceſſuro fermento valide reſiſtant , & per repetitas circulationes in cribris jam roboratis apte deponant . Radix Braſilienſis in Europam delata eſt , cujus admiranda virtus in cruento alvi fluxu multis conſtat experimentis ; & de qua Leibnitius elegantiſſime ſcripſit . Radicem

dicem iſtam, quae Ipecacuanha dicitur, nec adeo jucundam credo, nec adeo ſecuram in acuta dyſenteria, ea ſcilicet, quam Sydenham dixit *febrem in inteſtina introverſam*, ſeu metaſtaſim inflammatoriam, & olim Caelius Aurelianus *inteſtinorum rheumatiſmum cum ulceratione* appellavit: unde patefactis arteriarum finibus ipſe cruor, nativus inteſtinorum mucus, & non raro purulentus ichor promiſcue expreſſi deiiciuntur. Quod ſi dyſentericis vomitus bilioſus initio quin provocetur accedens, officere in Coacis traditur: contra verò excitatus deteriores turbas adjungat, neceſſe erit: vomitionum enim impetu acres infeſtae efferaeque particulae per arterias meſaraicas in inteſtina vehementius excutiuntur, & Peyeranas glandulas, & intimam ſeu nerveam tunicam, & mucum antemuralem exedunt: ſolida & liquida in centrum morbi & irritamenti conſpirant univerſa, gliſcitque importuno ac torminali vortice periſtalticus inteſtinorum niſus. *Alvi turbatae*, ut narrat Dictator optimus epid. 1. ſect. 1. *bilioſae ex paucis tenuibus mordacibus frequenter ad exonerandas ſe turgebant*. Non igitur ſaburra ventriculi cauſa perpetua eſt morbi, quae vomitu potiſſimum eget, ut abſtrahatur; ſed interdum acre & volatile, ſeu

tumul-

tumultuoſum & ſcindens fermentum ſanguinis: tunc bene ac ſapienter vena pseudocephalica ſecaretur: ſectio quidem & orgaſmum & contentionem ſanguinis amotura. Oleum lini in dyſenteria, & pleuritide ob inſignem leniendi vim a Rulando, Wedelio, aliiſque deligitur, & cum juſculo tenui, in quo pervincae folia aut flores anthemidis leniter incocti ſint, propinari debet. Cryſtallus montana, & ſmaragdus Orientalis alcalica duritie ſua erodentia ſpicula infringunt. Felix eſt autem paregorica Sydenham tinctura, quae ſymptomaticos fermenti motus ad peripheriam, utpote locum minus principem, nec exquiſito ſenſu praeditum, divertit: laxatis enim per ſomnum carnoſis inteſtinorum annulis, & fatiſcente irritatione periſtaltica vis coercetur, & cutis vaſcula a criſpatura, & diſtortione vindicantur: ſanguinis non aegre per meſaraicas venas ad portam, jecurque, inde ad cavam & cor reducitur; mox ab aorta ad ſummas fertur arterias, quae licet diametri minoris ſint, numero tamen excedunt, & quaſi ſtygiae reliquiae in maſſa ſanguinea adhuc fluctuantes, per publica cutis filtra, ſeparantur, & ſpecie ſudoris erumpunt. Porro Senis Coi eſt oraculum epid. 6. ſect. 3. *cutis raritas, alvi denſitas: alvi laxitas,*

cutis

cutis adſtrictio. Pereira brava, ſeu botua radix eſt nuper ex Mexicana regione ad nos delata, aperiens, & diuretico-abſterſiva, contra polypeas concretiones, & adverſus calculi rudimenta, & ipſum lapidem, ampulloſis laudibus extollitur: nobis undique ſeſe offert parietaria, quae illa praeſtantior eſt, nam blande nitroſas & alcalicas a calce particulas aſsumit, non ſecus ac uſnea ex cranio ſuſpenſi, vel rota contuſi hominis vim obtinet, qua pollet radix valerianae ſilveſtris, epilepſiam ſcilicet, alioſque cerebri affectus curandi. Immo, ut ait Medicorum lumen Hippocrates lib. de affection. *cepae ad urinas commodae ſunt: ſuccus enim acrimoniam quandam exhibet, ut ſecedat*; ſed ubi momentum morbi in ſtricto reſidet, non acri & convellente remedio, ſed oleoſo & paregorico utimur: etenim *in Lariſſa Teophorbi filius veſicam ſcabioſam habebat, & viſcoſam urinam mingebat, & dolebat, dum & inciperet mingere, & dum deſineret, & confricabat pudendum: quum bibiſſet acre ciens urinam, in veſicam quidem nihil proceſſit: exulceratus eſt venter vi medicamenti, & mortuus eſt tertia poſt potionem die.* Epid. 5. *Ex iis, quae de circulatione ſucci nutritii in plantis, earumque perſpiratione in ſtatica vegetabilium experimentis probat Ste-*

pha-

phanus Haleſius, *colligit ob analogiam plantarum cum brutis tribuendum quoque ipſis eſſe inferiorem quendam gradum perceptionum*. Sic Acta Eruditorum Lipſiae 1730. Extorquere etiam poterat Haleſius Hippocratis analogiam lib. de nat. puer. *omnium ſiquidem natura conſimilis eſt tum ex terra naſcentium, tum hominum*. Occurrit opportunè laurus, *janitrix*, ut ait Plinius hiſt. nat. lib. 15. cap. 30. *Caeſarum*, *Pontificumque*: *quae ſola & domos exornat*, *& ante limina excubat*: *laurus quidem manifeſto abdicat ignes crepitu*, *& quadam deteſtatione*. Occurrit opportuniùs planta illa, quam Turcae, Perſae, Arabes ſuluc, & noſtri mimoſam, herbam vivam, ſenſitivum fruticem appellant: illa equidem, ſicut filix femina, aut lens habet folia, quae tamen leviter tacta in ſe invicem ſtatim concidunt, humillimeque demittuntur, & mox abducta manu rurſus elevantur: id autem ex mechanice quaſi nervorum & valvularum, ſeu elaſtica ſtructura dependet, quam optime exponit Henricus Regius phil. nat. lib. 4. cap. 17. Eadem cadente die, quum nempe graveſcit atmoſphaera, tota contrahitur, & fere extincta videtur planta; die autem ſurgente finitur rarefactione preſſio, & fibrae dilatantur, & priſtinus redit vigor. Pulchra quidem phoenome-

nomena haec ſunt, ſed utinam feſſae valetudini ſuccurrerent. Plura & plura alia, poſſem adducere, ſed temporis anguſtia, & lex modeſtiae, quam ſervare mihi religio erit, penitus vetant. Herbas itaque noſſe, oportet, quibus omnis veſtitur ager, & quas deſpicimus, quas & pede conterimus. Jactet interim in re Botanica Gaſparem, & Joannem Bauhinum Helvetia, Paulum Hermannum, Amannum, & Rivinum Germania, Joannem Raium Anglia, Robertum Moriſonem Scotia, Joſephum Pittonem Tournefortium Gallia, Andream Caeſalpinum, Fabium Columnam, Laelium, & Joannem Baptiſtam de Triumphettis Italia. Concludat Aſiae doctor Galenus lib. de antid. *Medicus omnium ſtirpium, ſi fieri poſſit, peritiam habeat, conſulo: ſin minus, plurium ſaltem, quibus frequenter utimur.*

CAP. II.

Quid ſit Cortex Peruvianus.

VIret in arido cortice virtus antipyretica, ſeu antifebrilis, quae per diuturnam & genuinam praxim nobis innotuit. Itaque & nobis quoque in iſtum inquirere fas erit, nimirum quid ſit, qua mechanice operetur, quando & quomodo exhiberi debeat: eſt enim utile ac neceſſarium argumentum.

Cortex in genere pars ultima plantae eſt, & a planta facile ſeparatur: quod in animalibus cutis, in vegetabilibus cortex eſt; odor vero, color, ſapor ſcabrities, laevitas ſunt corticis proprietates. Cinnamomum eſt veluti olea arbor, ejus cortex, *in quo*, ut ait Plinius, *ſumma gratiae*, & ex quo oleum generoſum elicitur, ventriculi robur. Cortex Peruvianus cortex eſt arboris. quae *gannaperide* Indis dicitur, & *vitae arbor* dici meretur, & quam cydonia malus, vel fraxinus, unde manna, ſimilitudine adumbrat: nullum odorem ſpirat; colore & forma cinnamomum refert interna corticis ſuperficies, itaut cinnamomum occidentale putarent nonnulli; externa verò aut ſcabra & aſpera, ut cortex veteris pru-

ni, aut laevis & pallidis punctis maculata: ſaporem explicat amaro-ſtypticum, qualis in abſinthio, abrotano, chamedry, gentiana, & centaurio minori; cum amaritie tamen aliquid balſamini conjunctum habet; & helenium quidem, quod ab Helenae lacrimis natum Poetae volunt, utcunque amaritiem ejus imitari aſſerit Haller: aptiorem tamen analogiam ſuppeditant myrrha, aloe, & felleus ſuccus, qui intra nos propria veſicula cuſtoditur. O utinam Peruvianus cortex ſua ſemper ex arbore decerptus, collectuſque ad nos mitteretur: lignum & flores nullam, reſina & ſemina aliquam vim febrifugam, ut Morton perhibet, ſortiuntur.

Rancidi Galeniſtae a colore ſubruſo, qui cinnamomi eſt, Chinae Chinae caliditatem arguebant; ſed inepte & falsò arguunt, qui nimium coloribus credunt; nam, ut advertit Gaudentius Brunacius de Chinae Chinae hiſtoria cap. 2. albedo frigiditatem in nive lacte, & canitie praemonſtrat, in calce verò, & tithymali ſucco dat caliditatem. *Eſt autem color*, Plato in Timaeo, *veluti flammula quaedam, fulgorque a ſingulis corporibus emanans, partes habens viſui ad ſentiendum accomodatas*. Hinc fortaſſe aliqui affirmarunt, albedinem non eſſe colorem,

rem, ſed initium & baſim omnium colorum, ſicuti e contra nigredo eſt eorum terminus. Hodie juxta Nevvtonianum ſyſtema ſeptem colores primigenii, nimirum ruber, aureus, flavus, viridis, caeruleus, indicus, & violaceus omnes rite permixti alborem referunt proprium lucis nondum prismate ſeparatae, itaut quilibet lucis radius ex ſeptem coloratis radiis diverſae reflexibilitatis ac refrangibilitatis coaleſcat. Corpus igitur, quod omnes ferme heterogeneos radios promiſcuè reflectit, album; quod obſcuriores tantùm radios aliquibus interpoſitis umbris, nigrum dicitur, cetera autem radios reflectunt praecipuè illius coloris, quo imbuta apparent, ut egregiè nuper ſuſtinuit Marcus Antonius Columna prima die tridui ſui, ſeu potius ſuarum theſium in Quirinali coram Sanctiſſimo Patre BENEDICTO XIV. & Purpuratorum, & Praeſulum, & omnium Ordinum coetu, itaut ingenium acre, velox, ferax, perſpicuum in primis ac dilucidum exhiberet, & ſententiam ſuam feliciſſime, planiſſimeque aperiret. Siquidem nobiliſſimus Adoleſcens antequam lubricas ſuae aetatis vias ingrederetur, quaſi cera mollior ad ingenua, & praeclara ſtudia formatus eſt. Ex aſſe, ut ita dicam, virtutem comparavit, quae jam

aetate maturior maxima pollicetur. Nos interim fateamur, oportet, illum ad Apoſtolici Palatii praefecturam evectum eſſe non ſanguinis claritate, non favore aliquo, ſed ſolius commendatione virtutis. Revertamur ad viam. Jacobus Graveſande phyſ. elem. mathem. lib. 3. cap. 20. inquit: *a ſole procedentes radii albi apparent, ſi ſeparantur, horum colores diſtinguuntur, iterum permixti, reſtituitur albor*. O bene, ſi non imponeret nobis priſma, modificando fortaſse lumen perinde ut vitrum coloratum, cujus colore objectum album inficitur. Cur in priſmate, vel in iride ſeu arcu caeleſti nullus apparet color albus? quia ob refractiones reflexioneſque in eo medio tollitur continuitas radiorum luminis ex umbris intermixtis. Urinae tum Hecticorum, tum Scorbuticorum oleoſae ſunt, & araneae telas mentiuntur, cum hoc tamen diſcrimine, quod urinae Scorbuticorum lumini expoſitae colores iridis repraeſentent, ut lixivium commune mediocriter coctum: idque ob multas & varias ſuperficies ſalium, quos muriaticos vocant. Nunc demum reflecti radios priuſquam veram corporum ſuperficiem attingant, *a ſuperficie quadam corporis virtuali vi repellendi praedita*, notat Haller ex Nevvtono & Muſchenbroechio; ego autem

tem nondum intelligo, etſi demonſtrationes appellat.

Obiiciunt inſuper Galeniſtae ex ingrato, quem explicat, ſapore. Omne amarum calidum & ſiccum eſt; ſed China Chinae eſt impenſe amara: ergo calida & ſicca eſt; apage illam. Reſpondeo, quod opium amarum eſt, & tamen ab ipſiſmet Galeniſtis frigidiſſimum reputatur, & lethargum creat. Amarities ita papillas linguae fodicat, ut triſtem ſenſationem inducat illi ſimilem, quem aculeatus dipſaci fructus manibus infert ſi contrectetur. Amarum Willifius exigit a moleculis, quae furcatis aculeis inſtructae ſint. Doctiſſimus Cardinalis Ptolemaeus in phyſica particulari ſic habet: *amara abſtergunt, & purgant, quia, quum minutiſſimis & detortis ſint particulis, facile ſubeunt, & implicant quidquid ſecum avehunt.*

Cortex noſter ſaporem explicat amaroſtypticum. Terra, mater antiquiſſima, *etiam Cybele vocata fuit a cubo, quae figura omnium maxime ſtabilis eſt*. Nieupoort. Debetur cubicis ſeu terreis particulis vis adſtringens, & amarities terreo-ſalinis. Amara quidem incidunt ac extenuant quidquid craſſum eſt, & partibus ſuis haerens. Amara ſpecificè terrea ſanguinis villos, quos novit princeps ingenii & doctrinae Plato, in or-

 di-

dinem redigunt, validius conligant, & muniunt, ut acceſſuro fermento ſeſe opponant, ac reluctentur. Idcirco ceteris amaris praeſtantior eſt Peruvianus cortex, utpote cujus terreae ac ſalinae particulae ſtrictiori nexu firmatae ſunt, nec a ſe, dum tranſeunt anguſtiſſimos meſenterii tubulos, diſgregantur. Radix perſici, gentianae radix, cortex fraxini, tamariſci, & cupreſſi, nuces cupreſſinae, & plura hujuſmodi incidere & cicurare poſſunt. Aqua cichorii, ſpiritus ſulphuris, & ſal abſinthii ſunt ſimul antifebrile Crollii, itaut quae in pluribus diſperſa emendicamus, in uno cortice collecta admiremur. Crollianum Antifebrile ſpiritus ſulphuris ingreditur, ut ſanguinis rarefactionem vi alcalino-ſulphurea excitatam coerceat. Spiritus manifeſte acidus non eſt inflammabilis, imò ad inflammationem tollendam aptus eſt, quemadmodum obſervatur in pyrio pulvere, qui ſpiritu vitrioli madefactus, ac poſtea exiccatus accendi non poteſt, expulſis nimirum a ſpiritu acido aereis moleculis, quae ad conflagrationem omnino requiruntur: idque non evenit, ſi vini ſpiritu madefiat. Idem innuit Martianus in Hippocratis librum de affectionibus quum ait: *affirmare audeo, nullum efficacius medicamentum eſſe ad febrium acceſſiones prohibendas theriaca*

riaca ipſa , qua in febribus periodicis aſſidue utor , non in quartanis modo , ſed longe confidentius in tertianis , & quotidianis . Idem quoque dicendum de diaſcordio Fracaſtorii , quod eſt inſigne theriaces compendium , ſeu confectio , in quam amara , epiceraſtica , adſtringentia , quietifera , & tot alia coacta ſunt : confectionem iſtam tempore , quo Sacroſanctum Concilium Tridentinum celebratum fuit , in lucem prodiiſſe , fama eſt . Quidquid igitur poſſunt multa ſimul remedia , ſolus & ſimplex praeſtat Peruvianus cortex . Biceps illa febris , a quae tertiana duplex pernicioſa dicitur , a Ludovico Mercato , Philippi II. & III. Hiſpaniarum atque Indiarum Regum Archiatro ſolertiſſime deſcripta , hoſtis effera eſt , quacum ſaepeſaepius certare debemus , quaeque nonniſi *chinatis* bolis , & cito quidem ac tuto , ſi minus jucunde expugnatur .

CAP.III.

CAP. III.

Tertianae pernicioſae antidotus eſt Peruvianus Cortex.

TErtiana duplex ſive intermittens ſive continua ex altera ſubintrante, pernicioſa dicitur ex pravitate febrilis ſucci: eſt enim praecipua generis humani ſicaria; *gemini tunc ſcilicet angues Laocoonta petunt.* Porro ſi febris ſingulis diebus poſt 24. horas recrudeſcat, & primus paroxyſmus ſecundo & tertio, ſeu ſecundae & tertiae diei paroxyſmo reſpondeat, quotidiana appellatur; ſi verò paroxyſmus primus reſpondeat tertio, ſecundus quarto, & ſic deinceps, tertiana duplex cenſetur. Semitertiana graece hemitritaeus, non eſt niſi inſitio quotidianae continuae & tertianae intermittentis: non ſecus hectica, ſeu habitualis febris cum putrida intermittente complicatur. *Infeſtabant illos pleroſque febres horrificae continuae, acutae prorſus non intermittentes. Modus erat ſemitertianus, una die levius, altera gravius invadens.* Hippocrates epid. lib. 1. ſect. 1. *Febres horrificae*, non quod horror paroxyſmum proluderet, ſed quod toto paroxyſmi tempore horrores vigerent. *Neceſſe igitur erit*, concludit Ludovicus Mercatus, *ſi horrifica ſimul atque continua futura ſit, ex duabus generari*

rari febribus, diverſae tamen ſpeciei & naturae, itaut una ſit intermittens, altera verò continua. Rigor eſt motus quatiens, horror eſt debilis rigor, & artuum refrigeratio eſt horroris initium. Non rarò ſub larva latitant febres intermittentes, tamen ex urina valde tincta, ſeu aquae lateritio pulvere ſaturatae aemula, & ſtata paroxyſmi, lucidique intervalli periodo, & periodica ſymptomatum exacerbatione, ac remiſſione deprehendi facile queunt, ut adnotat Morton.

Culpatur a Borello fluidum nerveum lentore aliquo detentum, & ea acrimonia auctum, vi cujus idem effervescens primùm cerebro, mox cordi irritationem, & ſic aeſtum febrilem infert. Sed iſta hypotheſis ante Borellum Henrico Mundio ſuboluit, & poſt Borellum a Guillelmo Cole provecta fuit, qui conjecit, corticem cerebri primariam eſſe fermenti febrilis ſedem; & Fridericus Hoffmannus febris definitionem adjunxit: *febris quippe nihil aliud eſt, quam affectus & effectus ſyſtematis nervoſi praeter naturam affecti*; quae febris definitio auritam cochleam impetit, imò laedit. Culpatur a Williſio diatheſis vel acris, vel acida ſanguinis, quae chylum, ſeu ſuccum nutritium non ſubigit, ſed in materiam, quae periodicè ebullit, tranſmutat. Culpatur demum a Deleboe Syl-

Sylvio ſuccus pancreaticus, qui ſcilicet in ductibus pancreatis lateralibus obſtructis moram patitur, & aceſcit, mox obice perforato, intra duodenum una cum bile aeſtuat, & in ſanguinem per chyli ſemitam periodice aſcendens, febriles paroxyſmos inducit.

Perſpicaciſſimus verò *inter Humoriſtas Fernelius* in pancreate, & meſenterio intermittentium mineram poſuit, etſi anatomes lumine deſtitutus: *ego tamen hoc affirmo, & profiteor, cholerae, melancholiae, diarrheae dyſenteriae, cachexiae, atrophiae, lentarum, errantiumque febrium, latentium denique morborum cauſas me in his plerunque ſedibus animadvertiſſe.* Pathol. lib. 6. cap. 7. Glandulas meſenterii quaſi lenticulares perbelle delineatas exhibet tabula undecima Euſtachii. Ruyſchius, & Boerhaavius vix iſtarum glandularum veſtigia in Vetulae meſenterio invenerunt: quod mirum videri non debet, nam in ſenili aetate nedum parvae glandulae, ſed etiam mammae, quae hemiſphaericè olim turgebant, corrugantur paulatim, & evaneſcunt.

Et quidem ſi peculiaris humor febrium intermittentium auctor intra cavum ſtomachi, aut inteſtinorum vel innataret, vel adhaereret, ſine ſecretionis opere poſſet educi: in tali hypotheſi emeticis, vel dejectoriis locus

locus eſſe videretur ; quemadmodum illis utimur ad educendum noxium venenatumque cibum priuſquam ejus moleculae in vaſa lactea inſinuentur, & penetrent. Sed aliter ſe res habet: vel fermentum febrile in hiſce cavis non eſt, vel ſaltem ab iis per ea medicamenta non educitur: conſtat enim neque a natura per vomitus, aut dejectiones in febrium paroxyſmis iteratas, neque ab arte turbas excitante febrilis cauſae tantillum exprimi, quin ſaepeſaepius vehementiores, & contumaciores febres evadere. Itaque febrile fermentum longe altiores radices habeat, neceſse eſt.

Omnis febris a bile, dixit Hippocrates lib. de nat. hom. & 2. de morb. Pro bile intelligitur pars ejuſdem ferventior, & ad tumultum nata; idque confirmat Lucretius de rerum nat. lib. 4.

Quippe ubi, cui febris bili ſuperante coorta eſt,
Aut alia ratione aliqua eſt vis excita morbi,
Perturbatur ibi totum jam corpus.

Hepatis eſt, bilem ſecernere a ſanguine venae portae, quae Gliſſonianam capſulam induta in arteriam deſuevit. Veſiculae eſt, bilem colligere, perficere, ſtato tempore ſervare, & expellere. Tandem controverſi tubuli, qui hepatico-cyſtici appellantur, etiam in corpore humano detecti ſunt, praeſertim

ſertim circa collum veſiculae, teſtante Winſloo. Ductus cyſticus, ſeu collum veſiculae curvatum in ſuimet canalem producitur, & valvulis, quae cochleam referunt, inſtructum eſt, ne bilis praeceps deſcendat, & ne retrocedat. Ductus autem cyſticus, & ductus hepaticus ſimul in choledocum, terminantur. Duplex eſt bilis, hepatica fere inſipida, tenuis, & vix colorata, quae jugiter per choledocum manat in duodenum, cyſtica verò craſſior, coloratior, & amariſſima, quae non delabitur niſi vi turgentiae, aut preſſionis. Bilis igitur, ſeu alcali amarum pingue lixivioſum, chylum attenuat, nec abſque interventu ſucci pancreatici, quem alteram ſalivam dixit Heiſterus; oleoſa cum aqueis miſcet, omnem acrimoniam extinguit, & balſamino ſulphure ſuo prima etiam ſanguinis rudimenta chylo impertit in duodeno, itaut per repetitas chyli cum ſanguine circulationes in purpuram hilareſcant: quidquid praeterea terreſtre ac ſordidum eſt, a lacteſcente maſſa divellit; & periſtaltico motu, quem ipſa tanquam aloetica tinctura ſolicitat, chylus in lactearum oſtiola immittitur, & ejus exuviae per abjecta viarum depelluntur. Bilis uſus etiam Pictoribus notus eſt, qui viſcidos colores adjecto felle diluere conſueverunt.

runt. Quum bilis ad viride, vel atrum pendet, neſcioquid vitriolicum & rodens indicat admixtum ſibi: ubi craſſior fit, & veluti amurca ſubſiſtit, itaut quae ſeparatur aſſidue, in tubulos ſuos fluere non poſſit, refluit ſeparata quidem a ſanguine, ſed mixta cum eodem, hoceſt non cohaerens cum partibus ſanguinis, ut antea cohaerebat: hinc *ſurgit tacite tibi lutea pellis*; nimirum icterus emergit, quem Romani, ut ait Liſter in tractatu de variolis, morbum regium appellarunt *non propter aliquam excellentiam in illo morbo, ſed quod Reges populo Romano maxime inviſi fuerint: ita odioſum nomen morbo foedo impoſuerunt*. Ubi verò acre & ſulphureum in bile exaltatum eſt, oritur febris, quod ſi craſſiori lympha involutum ſit, febris recurrit.

Porro ſi viſcidum haerens ſuis partibus haereat in glandulis meſentericis, & ſenſim aceſcens fermentationem ſubeat, & rarefiat, clauſtra urget undequaque, donec valvulas, aut tenaciores ſui reliquias aperiat, aut perforet: tunc in maſſam ſanguineam irrumpit, & febrem excitat, donec abſumatur, aut eliminetur. Si viſcidum eaſdem glandulas rurſus obſideat, & mox in fermenti naturam elevetur, renovat febrem: hinc potiſsimum oriuntur febres intermit-

ten-

tentes, tum ſimplices tum compoſitae. Icteri analogiam adhibet Franciſcus Torti therap. ſpecial. lib. 1. cap. 6. quoties enim bilis tubuli obſtructi ſunt, ſi retentae bilis quaſi cuneo aut terebra perforetur obſtructio, quae aggeris in modum aſſurgit, aliquam illa ſibi viam vi aperit; iterum verò occluditur via, ſi eadem obſtructio iterum coaleſcat: idque facies modo plus modo minus auriginoſa, & faeces modo flavae modo cinereae ſatis oſtendunt. Addere liceat analogiam calculi adinſtar precarii orbis, perforati, quem refert Euſtachius de ren. ſtruct. cap. 45. *Juvenis quidam altero rene doluit; cruciatuſque adeo adauctus eſt, ut miſellus brevi vitam cum morte commutarit. Hinc calculo minime laborare conſtanter affirmabant Medici, quia neque urina ſuppreſſa unquam fuerat, neque tenuis, aut turbida ſeu ſabuloſa apparuerat. His omnibus (multi ſane erant) ſolus ego repugnabam, arbitratus, alterum renem officio ſuo probe fungi, alterum prorſus obſtructum nihil lotii excernere. Contentionem diremit ſectio, quae rem aliter ſe habere, quam nos opinaremur, patefecit, lapidem nimirum magnum & oblongum cruciatus, & interitus cauſam fuiſſe, qui cùm eſſet medius perforatus, quo minus urina exiret, impedire non poterat.* Si contumax ſit, & ſu-

ſupra tonum glandularum momentum occluſionis & morae , glandulae in ſtrumas, & ſcirrhos degenerant, & tunc chylus faecibus immixtus praecipitatur (quae praecipitatio dicitur caeliaca) & rore nutritio jugiter deſtituta motus organa, quae muſculos vocamus, in atrophiam incidunt: unde morbus ſiccatorius Hippocrati dictus, ſeu tabes hypochondriaca, & calor hecticus obrepit. Frequentior ſane, quam alibi, humorum ſtagnatio fit in glandulis; in glandulis namque non conica, nec ramoſa procedit arteria, ſed cylindrica, & vel in ſpiras, vel in plicas coacta; puta maximam glandulam patentem oculis eſſe inteſtina.

Si verò vis fermentatrix ſuccum in glandulis meſenterii mancipatum libertati, atque imperio quodammodo reſtituit ſuo, tunc febris periodica inſurgit. Horror, aut rigor univerſalis, lumbago, vomitus, angores, & alia ſymptomata, quae in febris acceſſione cumulantur, indicant praecipue tremorem, ut ajunt convulſivum in plexu nerveo meſenterii, & in cyſterna etiam Pecqueti. Plexus nerveus meſenterii conſtat ex vago pari, & pari intercoſtali: hinc diffuſus viſcerum conſenſus. Pecqueti cyſterna eſt galaxiae centrum reſidens ſuper ultimam dorſi, & primam lumborum vertebram:

bram: hinc lumborum calor, qui & Hypochondriacos, & Hyſtericas familiariter vexat, rudis & aceſcentis chyli inditium eſt. Sic lumborum dolor in acceſſu febris febrilem ſuccum a Pecqueti cyſterna aſcendentem ſignificat.

Signa autem pernicioſae febris, a Dolaeo, & ab Ettmullero quatuor potiſſimum recenſentur, inſignis nempe virium proſtratio, ſitis inextinguibilis, faſtidium cujuslibet cibi, & vigiliae pertinaces, aliquo cum delirio conjunctae. Sed quantus eſt humor, ſeu ſuccus febrilis? exiguae molis, quam juxta Borellum fortaſſe cochlear unum caperet: hic per intervalla ſanguini affuſus, ſanguinem in motum febrilem concitare potis eſt. Quandoque per vomitum, aut per dejectionem in ipſo tertianae praeſertim paroxyſmo humorum multitudo expellitur: iſti tamen non ſunt verae febrium cauſae, nam iſtis expulſis vel ſolveretur, vel ſaltem miteſceret febris, quum potius augeatur, & exacerbetur; ſed ſunt effectus cauſae febrilis, quae licet molis exiguae, tumultum, & varias excretiones inducit: immatura quaecumque excretio non eſt niſi expreſſio ab oppreſſione. Siquis humorum temperie praeditus, & perfecte ſanus hauriret aut infuſum croci metallorum, aut pulverem Marci

ci Cornachini, non multo poſt aut per ſtomachum inverſum (quae breviſſima via eſt) aut per alvum copiam humorum ejiceret; exigua tamen fuit doſis liquidi, aut pulveris immanem evacuationem molientis. Quippe humores minime peccantes, & tantum a pharmaco, ut etiam a pravo cibo corruptos, violenta irritatio expreſſit: *expreſſio ab oppreſſione facta* phraſi Duretiana appellatur. Porro ad corrumpendam ingenui fluidi univerſitatem ſatis eſt modicus liquor vitioſus. Parum vini mucidi, vel aceſcentis, inficit, temeratque dolium integrum vini meraci. Spiritus vitrioli in oleum tartari guttatim injectus ſtridulam ebullitionem excitat, & ambo in ſal tertiae naturae degenerant, & concreſcunt. Pulveris pyrii granum ignis violentia explicatum, occupat ſpatium indefinitè majus propria circumferentia. Parum colocynthidis auſteris ſuis particulis quamplures inficit libras aquae. Idem facit ſublimatum comune, ſeu qui ſicarius evaſit, mercurius. Effluvia aut ſunt manifeſta, aut occulta: ſuccinum paleas, & magnes ferrum attrahit; attractiones iſtae attribuuntur vortici, ſeu circulo effluviorum, quae etſi occulta, ſunt tamen homogenea, & ejuſdem figurae corpuſcula. Ut ſedetur immodica ſalivatio mercurialis

 prae-

praeſtabit aegri tibias auri foliis obtegere; quae pallida & albicantia fient: & ecce volatus mercurii, qui ſic a faucibus divertitur. Si haec vera ſunt, cur totum ſanguinem non poterit inficere, ac in efferveſcentiam ciere exiguus febrilis humor?

Perniciosas intermittentes nemo melius deſcripſit, quam Ludovicus Mercatus, practicus aetatis ſuae celeberrimus: earumdem verò curationem China Chinae Richardus Morton ſolertiſſime inſtituit, ut innuit Franciſcus Torti in praefatione. Chinae Chinae uſum praecedere debet purgatio, aut venae ſectio? decidat Clinices inſtaurator Sydenham: *neque catharſi, multo minus venae ſectione ſubducenda eſt materiae febrilis pars aliqua, quò liberius cortex ſuo fungatur munere: quum enim ab utraque labefactetur quadantenus aeconomia corporis, eo promtius, certiusque recrudeſcent paroxyſmi, evaneſcente ſemel pulveris vi*. de acutor. hiſtoria & curatione ſect. 1. cap. v. Proſequitur Londinenſis auctor: *ita potenter dictus cortex ſine ope catharticorum non ſolum paroxyſmis, ſed & dyſcraſiae, quam corpori iidem inflixerunt, ſubvenit. Vitandae itaque ante omnia evacuationes qualeſcumque, quum vel blandiſſima catharſis, quinimo enema e lacte ſaccharato in morbi diſcrimen certiſſime, forte in morbum*

ipſum

ipſum denuo aegrum coniiciet. epiſt. 1. ad Robertum Brady. Tertiana biceps pernicioſa ſolvi aliquando nequit per vomitum, neque per dejectionem, neque per urinam, neque per ſudorem, neque per narium haemorrhagiam, & convertitur in ſimplicem tertianam, aut quartanam; *quartanam ſperantibus aegris*, Aquinas Cenſor: nimirum acute febrientes quartanam ſperare conſueverunt, nam ſecura febris eſt, & eos vitae periculum evaſiſſe ſignificat, itaut quicunque in quartanam inciderit, in vado ſit, & gaudeat induciali morbo:

Haud aliter tumidis qui jactabatur in undis;
Vt ſuſpiratam tenuit ſecurus arenam,
Iratos fluctus de littore ſpectat, & haeret.

Ex quibuſdam Dantis Aligherii verſiculis Cantic. 1. cant. 1. quos hìc diverſi idiomatis gratia latine recantavimus.

C A P. IV.

Qua mechanice agat, quando, & quomodo exhiberi debeat Cortex Peruvianus.

CHina Chinae ſolvit fermentum febrile, ut aqua chryſulca, ſeu regia ſolvit aurum, & aqua fortis argentum. Huic acquieſcere analogiae Empiricum redolet, qui ſola & bruta experientia medetur. Curioſum eſt inveſtigare, quomodo ſolutiones illae contingant. Quippe ſalis ammoniaci, vel marini, & nitri particulae ſimul junctae vim faciunt in auri ſubſtantiam, ejuſque particulas in motum adigunt, dividunt, ſolvunt; ſolutae auri particulae non petunt fundum, ſed ſpiculis nitri ſuffultae innatant, & cum reliquis permiſcentur; adde oleum tartari ex deliquio, & praecipites ruunt, quia nitri ſpicula, quae veluti fulcra erant, per novas particulas franguntur: hinc quod dejectum eſt aurum, vim fulminantem acquirit. Solvit argentum ſpiritus nitri, vel aqua fortis ex nitro & vitriolo parata: argentum in minimas particulas redactum addito ære praecipitatur; fortaſſe aquae fortis particulae in argenti poris extuberant, & quum facilius moveri poſſint intra æris poros, hos ſtatim ſubeunt, & argenti particu-

ticulae relictae, & amplexu liberae, ſuo pondere in imum feruntur. Aqua regia ſolvit aurum metallum ſolidiſſimum, argentum verò ſolvere non poteſt: auri ampliora ſunt interſtitia; quare quum nitri cuſpides in aqua regia magis a ſale craſſeſcant, etſi pervadere poſſint poros auri, ejuſque particulas divellere, ineptae tamen ſunt, ut ſubeant poros argenti. Sed non tam curioſum eſt, quam valde conducit inveſtigare mechanicem, qua Peruvianus cortex ſubigit, domatque febrilem materiam: etenim ad reconditam, & faſcinantem qualitatem recurrere eſt craſſioris ignorantiae aſylum. Dicam quod potero, quod rationi conſonum magis videtur.

Febres nunquam, aut raro curari queunt ob copioſas humorum purgationes & ejectiones, quum fermentum febrile exiguae molis eſſe ſoleat: quod evincitur ex curatione febrium cum rigore advenientium, a cortice febrifuga, ab India nuper advecta, quae abſque ulla ejectione aut per alvum, aut per ſudores, aut per urinas febrem tollit. Borellus de febris, & febrilis fermenti extinctione. Sic & Riverii febrifugum ex auro, ſtibio, & mercurio paratum, *ſine ulla moleſtia* (loquitur auctor) *& cum exigua evacuatione opus ſuum abſolvit, ut in Principe de Auria,*

aliiſque expertus eſt : obſervat. centur. 3.

Cortex Peruvianus, juxta Sturmii opinionem, ſolvit & praecipitat febrilem ſuccum, itaut pars ejus craſſior per inteſtina, tenuior per veſicam, & tenuiſſima per cutem eliminetur. Debellata per corticem febre, manifeſta evacuatio nec inſueta, nec multa eſt, ſed alvi faeces cortice ſe tinctas exhibent; & urinae croceus utplurimum, vel quivis alius morboſus color in citrinum, & craſſities vel tenuitas in mediocrem conſiſtentiam, nec ſine hypoſtaſi permutatur. Sub iſtis evacuationibus, etſi conſuetae ſint, latere poterit portio febrilis fermenti. Hoc eſt proprium corticis Peruviani, ut evacuationes ſymptomaticas coerceat, criticas verò promoveat. Ecquid dicam de inſenſibili tranſpiratione, quae omnem manifeſtam evacuationem ſuperat & excedit, & pro omnibus ſola eſt?

Quaecumque oculorum aciem effugiunt, ea mentis oculis obtinentur & ſuperantur. Hipp. lib. de arte. *Motus ille, qualis in febre eſt, potiſſimum accidit, ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt, ut Aſclepiades contendit*. Celſus initio libri primi. Cutis tubuli non ſunt, ut hactenus Majores noſtri exiſtimarunt, glandularum ſubcutanearum quaſi tot fiſtulae, ſed ultima

vaſcu-

vaſcula ex minimis arteriolis ducta. Fluidum inſenſibile a Boerhaavio non mere excrementitium reputatur; ſed neceſſarium ad flexilitatem noſtrae machinae conſervandam: & ut corpus flexile conſervetur, plurima debent eſſe inter partes illud componentes interſtitia, ſeu pori: ne tamen pori iſti ob partium concidentiam abolerentur, & corpus rigidum ſeu inflexile redderetur, Divinus Artifex fluidum Sanctorianum jugiter per hoſce poros effluere deſtinavit. Si autem vis & motus fluidi augeatur, & reſiſtentiam vaſculorum ſuperet, tunc ſudor ſe manifeſtat. Sudoris materia a ſanguine arterioſo derivatur, & ad urinae indolem accedit: ſudor aliquando craſſus, oleoſus, & fetidus eſt, aliquando fere ſanguineus evadit, ut in Bajulis nonnullis videre eſt, quorum ſudor axillaris cruoris inſtar ſubuculam inficit. Sudor autem cieri ſolet primò cutis tubulos laxando, ſecundò ſanguinem diluendo, ſolvendoque: dilutus dicitur ſanguis, quum ejus pars aquea partem rubram excedit: & ſolutus vocatur, quum quiſque globulus in alios ſex minores, ex quibus coaleſcit, dividitur & propagatur. Inter laxantia princeps eſt ſomnus: *dormiens duplo magis perſpirat vigilante*, ut probatur ex aurea ſtatera Sanctorii: eſt enim vigiliae proprium,

prium,

prium, omnes noſtri corporis muſculos conſtrictos, meatuſque omnes duplo anguſtiores efficere.

Peruvianus cortex reparat, ac tuetur ſanguinis craſim ſeu habitum: nonnulla igitur de ſanguinis conſtitutione innuamus neceſſe eſt. Sanguis e vena miſſus, ac terſo cratere exceptus, paulo poſt concreſcit: nimirum abit in tenue ſerum, & inſulam rubram, quae ſero circumdatur. Inſulae ſuperficies in morbis pleriſque inflammatoriis incruſtatur alba caeruleſcente pellicula, quae ſaepe adeo tenax eſt, ut cultri acie vix ſeparetur. Hujuſmodi ſanguinem pleuriticum appellarunt Medici, licet in aliis etiam morbis, & paſſim in feminis, quae utero plenae ſunt, & ſaniſſimis viris, qui verno tempore phlebotomiam ſubeunt, obſervetur. Coriaceum quiddam, vel ſi mavis fungus in inſula aſsurgit, & polypi naturam ſimulat, non eſt, ut Simſonus voluit, *chilus in ſanguinem perfectum nondum elaboratus recrudeſcens*, ſed potius elaſticae fibrillae ſanguinis mutuo amplexu ita compactae ſunt. Praeterea ſi ſanguinem igne, rerum analyſta vexaveris, abſumto ſero, pars alba in gelu, ut ovi album denſatur, & rubra ſolideſcet, itaut in rutilantem pulverem convertatur. Aqua particulis iſacoedricis conſtat,

quae

quae per molles & penè infinitos angulos ſibi contiguae ſunt, id in ſanguine praeſtare debet, ut ſcilicet penſum veli inſtar divulſum & expanſum detineat, & omnem ſcabritiem arceat. Globuli verò inter particulas iſacoedricas poſiti circa proprium axem rapiuntur & fluitant. Hinc ſanguis jure optimo in tres partes dividitur, albam, diaphanam, & erytrhaeam: alba in ramoſo glutine, ſeu fibrillarum ſerie conſiſtit: diaphana eſt fluidum aqueum, quod ſerum & lympham vocamus, rore nutritio opacatam: erytrhaea demum pars non ſunt niſi corpuſcula ſpheroidea ſeu globuli a Leevvenoechio per microſcopium detecti, nempe congeries ſalium omnigenorum, ſulphurum, atque terrae, teſtante Baglivo. Si globuli a ſe invicem disjungantur, aut quomodolibet eorum figura vitietur, ſtatim coloris rubicundi ſpecies perit. Repetere cogor aureum textum in Timaeo: quippe Platoni ſubolvit vera ſanguinis craſis, & febris mechanice, quae ad craſim ſanguinis evertendam nata eſt. *Tunc autem peſſima eſt* (bilis) *quando puro ſanguini mixta, & villorum, ligaminumque fila ſuo ex ordine dimovet, quae ideo in ſanguinem diducta, & ſparſa ſunt, ut mediocrem tenuitatis, & craſſitudinis habitum conſequatur; neque propter caliditatem, quum*

ipſe

ipſe ſit lubricus, raro ex corpore defluat, neque, ſi craſſior ſit, ad motum fiat ineptior, atque aegre fluat, & refluat. Homo febre corripitur, quoniam acer, & ſulphureus humor ſanguinem pervadens, ejus poros ita conſtituit, ut aditus tantùm detur elemento primo Carteſii, & tunc ſanè febrilis motus excitatur, non ſecus ac ſpontanea foeni humeſcentis accenſio. Aeſtuans ſanguis, & undique rarefactus juſtum momentum amittit; & vaſa per quae fluit, & refluit, minus premit; ideoque coronariae cordis arteriae minus diſtenduntur, & ventriculos rite conſtringere non valent, itaut una ſyſtole ſatis non ſit, & pulſus frequentia inducatur.

Si aeſtus & rarefactio talis, & tanta ſit, ut ſanguinis contextus, qui craſis apud Graecos dicitur, a ſucco fermentante labefactetur, tunc habenulae ſeu retinacula nimis diſtracta facile ſcinduntur; iiſque diſciſſis aquoſa pars, quae penſum divulſum & fluxile conſervat, & in qua ſphaerulae rubeſcentes innatant, elabitur, & ut chemicè loquar, decantatur: hinc ſanguinis fibrillae contrahuntur, & mutuo amplexu, rubicundi verò globuli vehiculo ſuo deſtituti alter alteri opponitur, & oppoſitu mutuo ſe ſe coercent, & remorantur; hinc ea ſan-

ſanguinis conſtitutio, quam ſtricto-laxam ſectae methodicae dux Aſclepiades, & mutato nomine lento-liquidam Bellinus appellavit.

Dehiſcente, aut rupta fibrillarum ſerie ſerum ſanguinis elabitur, & ſic diſſolutio coagulationem praecedit. Si eaedem rurſus fibrillae rabida quadam vi corrodantur, & fere dilanientur, ultima fit diſſolutio. Idem videmus in lacte, ſi coagulum diutiùs perſiſtat etiam ſine novi coaguli additamento fibris paulatim corroſis iterum funditur. *Si verò quis ipſum* (de ſanguine ait Hippocrates) *conquaſset, & fibras eximat, non congelatur*. Ulcerato, ut ita dicam, ſanguine, ſeu adempta ſanguinis continuitate ſcabrities quaedam emergit, quae etiam nerveas fibras pungit, divellit, & in convulſivos tremores agit.

Frangitur humorum foedus, ſeu craſis, itaut una particula alteri conſentanea non ſit: & ecce diſſolutus, ecce floridus ſanguis, & lympha acris, fuſa, & in pleura ſubſiſtens pleuritidem illam creat, in qua ſanguinis miſſio nullo modo indicata eſt. Itaque ſi pulſus depreſſi, & molles inveniantur, quum diu *juppiter horridus auſtris torquet aquoſam hiemem*, & etiam quum aeſtuat inſolentiùs caelum, a phlebotomia abſtinendum. Aut nonnihil ſanguinis initio mittere

fas

fas eſt, ut ejuſdem indolem detegamus: Certe ſi floridus ille, ſeu diſſolutus, parcendum venae; ſecus ſi viſcidus, tenax, & fere polypoſus extiterit, quemadmodum advertit ſolertiſſimus clinicus Ludovicus Viti in epidem. rheumatic. anni 1713.

Pulvis corticis Peruviani linguae admotus ſe ſatis manifeſte exerit amaro-auſterum: etenim lingua ipſa contracta quaſi brevior fit, & totum os exiccatur, conſtrictis vaſorum oſculis. Itaque abſorbere poteſt in ſanguine particulas diſtrahentes, & diſtractis fibrillis elaſticam vim ſeu robur inſtaurare, ut propius ad ſe invicem accedant, juſtius cohaereant, & in ordinem redigantur. Ita munit, ſtrictiuſque conligat ſanguinis villos, ut acceſſuro fermento valide renitantur, & per repetitas circulationes in cribris paratioribus deponant.

Honoratus Fabri ex inclyta Societate Jeſu, vir magni nominis ſub nomine Antymi Conigii Quinquinam ideſt Chinam Chinae conſtare aſserit ex minimis tali figura praeditis, quae poros fermenti febrilis tanquam cunei ſubeant, & attritione quadam illud debilitent, & impotens reddant, ut laedat, & diſpoſitum, ut excernatur. Multa in cortice contineri ſalia volatilia, multum olei, & parum ſalis acidi teſtatur ex chemica ana-

analyſi Daniel TaWri , & probat experimento, ſanguinem admixta Quinquina, vel denſatum ſolvi, vel denſari non poſſe. Eſt nempe alcali amaro-auſterum, & planè balſaminum, quod ſtyptica vi ſua unit, & roborat villos, ſeu ligamina ſanguinis, ideſt craſim ſanguinis, ut ſucco tumultuanti obnitatur, & reluctetur. Suppeditat ſimilitudinem Bellinus. Pone (praecipit ipſe ubi agit de fermentis) in machina Boyleana aut lac, aut ſanguinem: tolle aerem, & illa bulliunt mirum in modum, hoceſt, fit in iis liquidis ſeparatio maxima, & quidem tota ſimul cum impetu: crede partes, quae ſpecie bullarum erumpunt, in quiete conſtitiſſe, donec aer incumbebat, liberas quidem ab omni cohaeſione, dum intra liquidum contentae erant, ſed ſine motu ob preſſionem aeris ſupernitentis. Quippe non ſecus vitalis cortex abſorbet, & ſubigit iniquas, ſeditioſaſque particulas vi ſua alcalica, & certo pondere, & ſimul contextum ſanguinis munire valet. Eadem fere mechanice operatur frigida vel ſimplex, vel nitrum a nive mutuata, & largo cratere exhibita: etenim non ſolum abſorbet, premit, diluit, quae inordinatum & aeſtuantem motum excitant; ſed etiam ſanguinis craſim corroborat, ut fiat majoris reſiſtentiae. Uno verbo:

bo: id facit Peruvianus cortex, quod facit aer ſuperincumbens in ſtatu naturae integrae extra anthliam Boyleanam.

Ecquando exhiberi debet cortex Peruvianus? primis morbi diebus exhiberi debet, ut ſentit Franciſcus Girolami in triumpho Chinae Chinae: prius enim quam ungues firmentur, & creſcant, domandus eſt leo. Quum febris antidotus ſit cortex Peruvianus, nondum adulta febris facilius ac ſecurius expugnatur: atque id nobis obtinet anticipati temporis uſura. *Circa initia cuncta imbecilliora* dixit Hippocrates aph. 30. ſect. 2. hic aphoriſmus alium antecedentem revocat in memoriam: *dum morbi inchoant, ſiquid tibi videtur movendum, move*. Sed catharſis, & phlebotomiae in ipſo etiam febris initio noxiae ſunt, nam ſanguinis tonum debilitant, febrem duplicant, & pejorem efficiunt, Baglivo adnotante. Contra, Petrus Michael de Heredia opinatur, corticem Peruvianum non eſſe initio exhibendum ſed poſt alvi purgationem, quaeſt. poſthum. de febribus eradicatu difficilibus. Idem opinatur Lemery curſ. chym. part. 2. cap. 6. Sed perperam opinantur; nam alvi purgatio opponitur corticis vi adſtringenti, ut periphericae criſi ideſt ſudori, vel anacatharſi in pleuritide. Quin ſi vomitus, aut diar-

rhoea

rhoea in ortu febris invaſerit, vomitus aut diarrhoea ante compeſcenda eſt, quam cortex propinetur, ne corticis virtus in irritum cedat. Lis autem deciſa eſt, ſi duplicem curationem diſtinxeris, regularem ſcilicet, & urgentem. Regularis, quum capitur indicatio ex mechanice, qua factus eſt morbus, & cauſam ſequitur: ſi morbi cauſam tollit, tollit morbum, & quae a morbo derivantur, ſymptomata. Urgens ſine ullo cauſae examine ad majus periculum evitandum directa eſt, juxta monitum Galeni: *ad illud quod magis urget, curantis intentio dirigenda*; & Valleſii: *ad urgentiam primò attendendum, quamvis pervertatur methodus*. In curatione igitur regulari poteſt Medicus otioſo & oſcitanti ſimilis initio febrium Chinam Chinae omittere. Sic tertiana ſimplex die quartodecimo marte ſuo finitur: *tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimum eſt, judicatur*, verba ſunt Coi Senis: quippe tantum temporis exigit tertiani humoris natura, ut ſeparetur, atque expellatur. In urgente autem curatione quum ſymptoma aliquod inſtat periculi plenum, corde ac cerebro fatiſcentibus, conſueta remedia deſpicimus, & ad corticem feſtinamus. Non ſuperſtitioſa illa Veterum coctio, ſeu praeparatio expectanda eſt: nam aegri ſacrificium

 fieret

fieret procraſtinatione remedii; ideoque nos morbi coctionem, quam ad perniciem uſque expectare nolumus, pulvere ſeparante auſpicamur. Centies vidimus in iis, qui lethali febre aeſtuabant, ſumto bis terque pulvere febriles paróxyſmos, & omnem deleteriam indolem deſaeviiſſe.

Et quidem longe a paroxyſmo, inclinata ſcilicet febre, febris everſorem pulverem exhibere, ac ſtatis horis repetere neceſſe eſt; nam (ut diximus in epiſt. 1. ad Lanciſium num. 8.) ſanguis puncto referveſcentiae per elaſticas ſuas fibrillas tali orgaſmo diſtractas expanditur, turgeſcit, & in oſtiolo ductus thoracici venae ſubclaviae ſiniſtrae inſerto valvulam premit, & quae ingredi, & quae aſcendere coguntur, repellit. Ductus thoracicus febrili ſucco diſtentus aortae, quae ſupra ipſum pulſat, obnititur, & ab ea vehementius repercuſſus in tremorem, ſeu motum convulſivum vibratur, & praecordia, plexum nervoſum meſenterii, ſtomachum, peritonaeum jure conſenſus laceſſit: hinc horror, aut rigor univerſalis, lumbago, vomitus, angores, & alia, quae in acceſſione cumulantnr. Tunc cortex Americae, tunc cibus ipſe, aut ipſe etiam potus non aliud quidem, niſi turbas adjungeret. Secunda ratio eſt, quia longe a paroxyſmo

xyſmo ſanguis pacatus quum ſit, promtius obtemperat conſtrictioni, quam cortex inducit cogendo ſanguinis fibrillas ad ſe invicem accedere, & cohaerere. Sic non otiamur tempore intermittentiae, ſive obſcurae & ambiguae remiſſionis. Ad rem quadrat exemplum, quo utitur Franciſcus Torti, Raynaldi Primi Mutinae Ducis archiater: ſiquis mergatur in vaſto gurgite, nec quidquam circumſtet, quod apprehendere manu poſſit, profectò ſuffocationem incurret, niſi ipſi baculus, aut quid ſimile porrigatur. In gurgite merſus eſt, qui perniciosa febre laborat: lignum extrahens e gurgite eſt Peruvianus cortex rite porrectus; manus adjutrix eſt manus Medici methodice, atque opportune porrigentis. Laudo Gentianam, quae a Gentio Illiriae Rege nomen accepit, laudo Imperatoriam, laudo pentaphyllum, centaurium, chamaedryum, & tandem laudo nuces cupreſſi; non iſtis tamen, ſed herculeo cortici vitam hominis ſemel morientis generoſe confiderem.

Ecquomodo exhiberi debet cortex Peruvianus? ſemper majori doſi repetendus. ex. gr. ſingulis duabus horis ad drachmam unam, ſingulis tribus horis ad ſcrupulos quatuor, & ſic deinceps, ne vis primae doſis evaneſcat, repetitur ſecunda, tertia,

quarta, ad normam, ritumque expertiſſimi Sydenham, qui a conterraneis ſuis *Medicus febrium* vocabatur. Corticis ſane repetitio recidivam impedit, & ſine ipſa ad integram apyrexiam perveniri non poteſt. Bene ac ſapienter dixit Baco Verulamius: *quae in natura eximie poſſunt ac pollent, ſunt ordo, proſecutio, ſeries, & viciſſitudo artificioſa*; & ante Baconem Hippocrates de locis in homine ſic: *fortia in debilibus morbis remedia non opus eſt dare; neque paucitate remedii debilitas ipſius facienda eſt*. Franciſcus Rhedi in ſuo triumpho Chinae, ſi China debilis foret, auxiliares particulas nempe myrrham adjungit; alii rhabarbarum, alii arcanum duplicatum Hadriani Amynſcht, alii nitrum ſtibiatum; Baglivus verò ſalem armoniacum, & Chinam Chinae ſali armoniaco nuptam tanquam infallibile febrifugum, extollit, de fibr. motr. & morb. cap. 13. Immò antea ſic proteſtatur: *pluries certe in hoc opere damnavimus Chinam Chinae, ideſt non damnavimus remedium, ſed abuſum Medicorum in eodem praeſcribendo*. Non reticendum tamen, quod ingenuè fatetur Sydenham: *Qui aliquid cortici adiiciunt praeter vehiculum eidem in ventriculum tranſmittendo neceſſarium, aut ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex*
ani-

animo abhorrebit. Zapſius electuario antifebrili, *cujus baſis Chinae cortex*, *& famam & opes acquiſivit*, ut innuit Fridericus Hoffmannus. Graſſante tertiana perniciosa cum vermibus alcali amaro-auſterum uligine quadam balſamino-volatili ab oleo Matthioli mutuata, pharmacum ſimul febrifugum anthelminticum, ac vulnerarium diu expertus ſum. In Ferentinenſem epidemiam *chinatis bolis*, *& gelu de c. c. chinato* adhuc imberbis dimicabam. Audi Lanciſium de nox. palud. effluv. lib. 2. epid. 1. cap. 8. *dum Romanam hanc epidemiam ſecundis curis pertractamus*, *nempe menſe Auguſti* 1715. *nobis mirandam plane vim ejuſdem alexipharmaci videre contigit in excellentiſſimo principe Michaele Angelo de Cajetanis*, *qui quum a tertiana pernicioſa vitio paluſtris aeris animam pene ageret*, *poſt adhibita infernis artubus veſicantia*, *ſolo uſu Chinae Chinae guttis olei Matth. inſperſis brevi convaluit*.

Non raro aeger corticem vel renuit, ut ſi deliret, vel nequit aſsumere, ut ſi ſit lethargicus, vel aſſumtum retinere non poteſt, ut ſi aſſidue vomat; in hiſce caſibus, melius eſt ancipitem, aut imbecillem, quam nullam methodum experiri, ſuadente etiam Franciſco Torti; & clariſſimus Sbaralea de China Chinae ait. *Qui non tolerant in ſtoma-*

 cho

cho hunc pulverem, ad unciam unam in clyſteribus utiliter recipiunt, ut nobis contigit obſervare in muliere cum facie ſemper maxime rubicunda: haec enim aſſumtam per os Chinam non tolerabat; a praedicto autem clyſtere ſanata eſt. Baglivus prax. medic. lib. 1. c. 13. n. 9. China Chinae per clyſteres injecta puerum quinquennem Romae a duplici tertiana liberavit. Idque obſervavimus nos 11. octobris 1743. in illuſtriſſimo Comite Magnano ad forum S. Marci. Hic porro tertiana duplici pernicioſa laborabat: circa decimum morbi diem adhuc vigili comate detentus erat. Ego in conſilium acceſſitus cum Romanis Archiatris Ciampoli, & Grilli propoſui corticem Peruvianum. Sed aeger ne juſculum quidem glutire poterat, imò reſpuebat oblata. Electum unanimiter fuit remedium, ſed modus illud exhibendi non aderat. Propoſui & ipſe clyſteres ex China Chinae bis aut ter in die repetundos, & ſtatim juſſimus, ut aqua cardui benedicti cum pulvere corticis Peruviani largius per ſyphonem iniiceretur. Acceſſit undecimus mitis, & aeger eſſe ſuus, nempe ad ſe redire coeperat: acceſſit mitior decimusquartus; & ita convaluit.

CAP. V.

C A P. V.

An in aliis febribus, & aliis etiam morbis Cortex Peruvianus conveniat.

FEbris, quae ſupervenit hecticae jure optimo vocari poteſt *putrida intermittens* ex confectione puris: etenim inflammantur pulmonis tubercula, mox in ſuppurationem vergunt, & ſub finem febris inflammatoriae, febris putrida intermittens oritur, *quae ſingulis, vel alternis diebus*, ut ait Richardus Morton, *recurrit cum algore, ardore, & ſudoribus ſucceſſivis*. Porro ſi naturâ integrâ ſiniſter cordis alveus duas uncias ſanguinis capit, quum ſanguis hecticè rarefactus eſt, motu non mole dilatante cavum illud elaſticum minus premit, ut exprimatur, & cordis ſyſtole non vi, ſed numero augetur: it redit aſſidue ſanguis per loca purulenta, & novis, quas abripit, infeſtis particulis cumulatur, & aeſtuat. Hanc febrem pulmonarium remediorum ope radicitus evellere eſt plane impoſſibile, abſque ulcerum, unde febris, ſanatione, ſi parva ea & benigna ſint. Peruvianus autem cortex, debitis intervallis repetitus, febriles paroxyſmos tollere efficaciter valet, itaut nonnulli Phthiſici jam deplorati frequenti uſu nedum ad menſes, ſed etiam ad annos protraxerint vitam, & quam-

vis in ſtatu valetudinis neutro; munia tamen ſua proſequi potuerint, narrante clariſſimo Mortono. Siquidem alcali amaro & balſamino tempus comparamus, & vires, & ſanguinis conſiſtentiam, ac tonum ſeu robur ſolidis reſtituere adnitimur. In Actibus phyſico-medicis Academiae Caeſ. nat. Curioſ. tom. 5. obſerv. 156. conſtat, Laurentium Heiſterum cortice Peruviano gangraenam, & ſphacelum pedis curaſſe in quibuſdam nobilibus muliere, ac viro. Nos vero id obſervavimus in cocolatae artifice ſeu propola juxta forum Hiſpanum. Acerrimus & pluſquam podagricus dolor utrumque illius pedem licet non eodem anno, corripuit, & in necroſim ſeu gangraenam deſinebat, itaut Chirurgus pedum digitos amputare coactus fuerit. At quia lues neque ſic deſierat, corticem Peruvianum quotidie exhibuimus, ac tandem lues a ferro ſuperſtes extincta eſt. Omittere hic nolo quod notat Albertus Haller, nempe in Phthiſicis mentis & ſenſuum ad finem uſque vitae, integritatem: etenim univerſus ſanguis paulatim perit, ut parum denique ſuperſit ſanguinis, ſed arteriae capitis internae nihilominus plenae ſunt, quod oſſeo canali proportione reſpondeant. Porro carotis interna ad cerebrum aſcendit per canalem

oſſi

oſſi petroſo inſculptum, cui tamen valide adhaeret, ut nunquam poſſit magis aut minus diſtendi, quum ab eo veluti modulo eadem conſervetur diameter. Tam liberè opinatus eſt Haller, nil prorſus innuens de nervo intercoſtali, qui *per canalem carotidis internae cranio exit*; & tamen Williſius *nervi intercoſtalis plexum gangliformem, cerebri & cordis internuncium, & homini proprium* aſſeruit, quem in cadavere cujuſdam fatui a nativitate *valde exilem, & minori nervorum ſatellitio ſtipatum* invenit: Sed eſto, quod interna carotis diſtendi non poſſit, poteſt tamen diametro imminui: nam criſpari & collabi poteſt communi ſiccitate: ſiccitas iſta ſtatim in facie Hippocratica exhibetur, eſt autem extus & intus univerſalis; aut ſaltem infra & ſupra canalem oſſeum deberet imminui. Et ecce analogia: In medio nervi optici cavitatem eſſe dixerat Galenus quaſi continuati in oculum ventriculi anterioris: idque longe ante Anatomicum Picenum, & ante Anatomicum Belgam, Euſtachium & Ruyſchium. *Hanc cavitatem*, ut notat idem Haller, *arteria ſanguinea replet, quae in cadavere inanita retrahitur, & nudum foramen relinquit: inde per retinam & vitreum humorem vaſa ſparguntur*. Illud autem perſpectum eſt, quod

pul-

pulſus in carpis deficiens non ſemper cordis motum deſiiſſe teſtatur : ratio eſt doctiſſimi Lanciſii de rep. mort. lib. 1. cap. 16. quia *carotides quum diametro majores ſint iis, quae ad manus ſparguntur , nec oblique & per angulum in axillis, ſed recta ferantur ab arcu arteriae magnae verſus caput , impetum ſanguinis etſi tenuiſſimum a corde impreſſum, facilius excipere , & explorantibus oſtendere poſſunt*. Praeterea dixit Hippocrates lib. de flat. *Opinor autem , inter omnia, quae in corpore ſunt , nihil magis ad prudentiam conferre , quam ſanguinem: hic ergo quum in conſtanti habitu perſiſtit , conſiſtit & prudentia, ſanguine verò permutato concidit ſimul & prudentia*. Plato in Sympoſiaco ſic habet: *maxima verò, & omnium praeſtantiſſima prudentia eſt, qua civilia , & domeſtica gubernantur , cujus nomen eſt temperantia, atque juſtitia*. Prudentia definitur a Tullio lib. 2. de Invent. *rerum bonarum & malarum, & utrarumque ſcientia* . Sanguinis mutationes hanc ſcientiam permutant, & rationem reddit Graecus Pater ibidem : *affectus animi , & cognitiones a conſuetudine contingunt ; quum autem a conſuetudine recedimus , aufertur nobis prudentia* . Porro inſtrumentum praecipuum animae eſt ſanguis . Sed in iis, qui tabe conſumti ſunt , ſanguinis habitus ſeu

com-

compages evertitur ; nempe ſanguinis villi ſeu ligamina diſcinduntur: hinc rubeſcentis continui ſolutio , ſeu quaedam ulceris ſpecies , & ſupereſt tamen prudentia. Supereſt & nobis explicandus Hippocratis textus in Coacis, qui ſequitur: *in tabeſcentibus ſputa ſuppreſſa mentem ad nugas garriendas emovent.*

Chinam Chinae in Gallia exhiberi contra pallorem Virginum , & ſuppreſſa menſtrua refert Ettmullerus. In chloroſi, ſeu pallido morbo torpida eſt ſanguinis circulatio. Plethorici vocantur homines , quorum cutis roſeo colore fulget. Cachetici , quorum cutis lethaeo colore ſuffunditur. Icterici, quorum cutis flaveſcit . Et ſicut icterus flavus non eſt niſi aureus lymphae color, quando ſcilicet lixivi ſales ; qui ad bilem formandam jecoris cribro ſeparari debuerant, in lympha velut in proprio menſtruo ſoluti remanent: ita icterus albus eſt pars alba ſanguinis, quae plus juſto glutinoſa & viſcida extremis tubulis varicatis , cadavericum pallorem referunt . Vaſorum impuritas rerum alvi male geſtarum conſectaria eſt , ut loquitur Duretus, & ideo ſtomachus primò culpandus : *corporum motus ſive progreſſivi ſive circulares in ſpatiis minus reſiſtentibus facti, diutius conſervantur* , ſic Nevvtonus in princ. mathem. phil. nat. ſpatia ſanguinis

ſunt

ſunt arteriae & venae; functionum integritas ab expedito tranſitu fluidorum per vaſa pendet. Sanguis a debita craſi recedens vel aquoſus, & tenuis fit, vel iners lentuſque, & ad curſum difficilis: hinc aedematiſmus & machinae torpor. *Dum verò per ferrum & exercitia corporis vaſorum in fluida actio augetur, redit color ruber, & debita ſanguinis denſitas*: Van Swieten commentar. in Boerrhav. aph. de obſtruct. Sed praeceptor ejus Boerhaave de vir. medic. cap. 12. ſic ait. *Cortex Peruvianus quacumque forma datus: hic autem locum a chalybe proximum obtinet*.

Nonnullis Hypochondriacis drachma corticis in ſubtilem pulverem redacti, per triduum primo mane cum vino albo generoſo propinata perhibetur. Nos verò pulverem hunc cum tinctura martis, & diaſcordio in bolos coactum non ſemel juſſimus. In Anglia etiam contra hyſtericam, atque epilepticam affectionem exhiberi ſolet: ratio eſt, quia rigores febrium non ſunt niſi motus convulſivi, excitati in centro nervoſo meſenterii, & diffuſi non uſque ad panniculum carnoſum, qui non eſt in homine, ut in bruto univerſalis; in facie dumtaxat reperitur, nec eſt niſi muſculi platiſmamiodis hinc inde propagatio, ut in Theatro Anatomico

iterum iterumque demonſtravimus, ſed potius uſque ad peritonaeum, & nerveas tum intercoſtalis, tum vagi paris propagines. Rigores febrium, & motus hyſterici ſeu epileptici a ſucco ejuſdem indolis provenire teſtatur Hippocrates epid. 6. ſect. 6. *quartana correpti magno morbo non corripiuntur; ſi verò corripiantur prius, & ſuccedat quartana, liberantur*, quia ſeditioſus humor rigore quatiente ſolvitur, & cortice demum expellitur. Quo magis perdurat rigor, eo brevior, mitiorque ſuccedit febris. Signum evidens, rigoriferum ſuccum & ſolvi & expelli. Rigori ſuccedit febris intermittens, & non continua, quia fermentatrix materia vi rigoris imminuitur.

Joannes Crato in cerebri morbos inquirens, ſic denique exclamat. *Utinam ante vitae noſtrae exitum veram dignotionem, verumque remedium mali epileptici, & motus convulſivi aliquis oſtenderet*. Et tamen Hippocrati forte ſuboluit tale remedium: inquit enim ipſe de morbo ſacro: *qui ſalivoſi fiunt ac mucoſi, morbo ſacro fere non apprehenduntur*. Epilepſiae magnes cinnabaris nativa praedicatur, ſed quoniam nec purpuram nec aethiopem induto mercurio primas ultra ſemitas ire conceſſum eſt, ideo potiùs ſublimato dulci *conſerva flor. tun.* ob-

ducto

ductо idiopathicam epilepſiam aggrederet; ut nempe alcali metallicum indefinitis ſuis globulis quidquid in dura matre mucoſum latitat, & praecipuam acredinem involvit, ad minima redigat, & fluere per fauces cogat. Mercurii globuli innocuè noſtris cum fluidis permiſceri poſſunt, & in orbem agi. Neminem ſane fugit, quod mercurius a ſaliva hominis praeſertim jejuni aliquantulum detinetur: quum verò ſalivae loca, aut ſimilia attigerit, tantum quietis ac morae patitur, ut ſalivae ſalibus circumſcriptus ſphaerìcam figuram diſſimulet, & polygonam aſciſcat, & induat. Quapropter iis in locis diutius ſubſiſtens majores vires, & momenta exercet pondere, & aſperata ſuperficie: hinc fertilis ſalivae ſeparatio, & faucium, palati, & linguae, labiorumque corroſio, ac tumor, ut advertit Mazinus de mechanic. medicam. diſſert. 5. num. 56.

Siquis floridi temperamenti, & quadrati habitus in viridi aetate penis erectione non gaudeat, explorandum eſt, an aliqua adſit inaequalitas, & reſiſtentia ſpongioſorum corporum, quae maximam penis molem conſtituunt, an verò in ejus dorſo varicoſae venae protuberent, quae ſubito rarae atque imbecillis texturae nos admonent, & languere praeſertim indicant ere-

ctores,

ctores, & acceleratores muſculos, quorum miniſterio penis tenditur, & rigeſcit. Si penis fabrica ſat bene conſtructa appareat, cūlpari nullo modo poterit externa pudendi configuratio, ſicuti nullo modo culpari poterit fluidum univerſale: quum enim ſanguis laudabilis currat per ſingulas partes, hic idem fluit, & refluit per pudendum. Culpari potius debet impedita fluidi nervei irradiatio, quod nervis, ut aqua funibus vigorem largitur, & robur ad ſuperandam quamlibet potentiam quieſcentem: ſi enim erectores muſculi plus juſto graciles fuerint, & ſimul nervi, qui ab ultimis oſſis ſacri ad illos pertingunt, viſcidiori lympha obſtruantur, accidit ſanè paralyſis ſeu torpor penis, & ad venerem impotentia, quae ſic epice adumbratur:

—— —— Quum nervea fila fatiſcunt,
Tunc dubius penis nigra atque rigentia ab hirco
Oſtia perluſtrat, nec vi perducitur ultra:
Plorat ibi tandem.

O infelix aegritudo, quae matrimonia paſſim dirimit, & quaſi ſemivirum facit: tunc vanum eſſet, ſi primulae veris decoctio, pulvis cervini penis in furno exiccati, aut diaſatyrion Meſue propinaretur: tunc neque blanditiis, neque manu mulieris pannuceus penis, qui demiſſo capite dormi-

tat,

tat, excitatur; & vis inobediens; ideſt vis inertiae, qua laborat, fere invicta eſt: etenim *quicunque morbus in nervos pervenerit, roboratur, & quieſcit in eodem loco, & difficile eſt, ipſum educere*. Hipp. de loc. in hom. ſed qui reus eſt humor, non tam facile quieſcit in venis, nam majus ibi ſpatium reperit, & una cum refluo ſanguine refluere ſolet. Paralyſis illa eſt, quae nullo alio expugnari poſſet remedio, quam hydrargyroſi, ut expugnata fuit ab Heiſtero caecitas mulieris Altorfinae, quae *gutta ſerena* dicitur. *Si* verò *contra hydrargyroſim jam pervicax fuerit, auctor ſum*, inquit Joannes Aſtruc, *ut ea tententur remedia, quae ad callos reſolvendos efficacia ſunt, & quae ad ſchirrum teſtium praetuli: imò ut ſupra perinaeum fiat embroche, ſeu aquae thermalis ſtillicidium, quod adverſus muſculorum erectorum, & acceleratorum inertiam remedio eſſe poteſt*. De morb. vener. lib. 4. cap. 11. §. 3. Tanta eſt vis duciae, ſeu aquae guttatim cadentis percuſſio: *percuſſio ea vocatur actio, qua corpus motum omni ſua vi in aliud impingitur*. Petrus Muſchenbroech. elem. phyſ. cap. 16.

Quid autem, & quantum poſſit in foro medico ad naturae ſubſidium natus Peruvianus cortex, haec demum quae contem-

nenda

nenda non eſt, probare videtur hiſtoria. Primas quidam Vallisfmontanae gracilis habitus & bilioſi, ut ajunt, temperamenti, vix ſexageſimum aetatis annum attigerat, & crebra & inſatiabili mejendi cupiditate laborans urinam aliquando cruentam, ſemper galactodem ſeu lacteam excernebat, & ſimul dyſſuria, ſeu doloris acerbitate ſub mictus finem torquebatur. Hinc calculi in veſica latentis ſuſpicio oborta eſt, *quoniam dum ſe colligit veſica ad excluſionem urinae, calculus opprimit ſphincterem*. Duretus apud Hollerium. Ad iſta ſymptomata & ſigna accesſit experientia, nam admiſſo cathetere facile deprehenſus eſt lapis, ſed craſſiori lympha non involutus, quae ſenſum & judicium explorantis eluderet. Qui calculum habet in veſica, patiatur extrahi ſectione: ita decretum fuit 3. Junii 1740. a praeſtantiſſimis viris Paſcoli, & Romanelli mecum in conſilium accerſitis. Unum etſi miſerabile remedium ſupererat, nempe ſectio. Sed antequam ſectioni exponeretur, purgata fuit alvus, miſſus deinde ſanguis è cubito, & propinatus ſingulo mane pulvis Peruviani corticis ad drachmae doſim. Tandem ad lapidis extractionem ventum eſt me coram a celebri Lithotomo Achille Menſurati, non ſine ope Chirurgi peritiſſimi Rutilii Toſi.

Extractus lapis granoſus erat, & fere marmoreus mole ovi gallinacei, pondere verò unciarum circiter ſeptem. Urina per vulneris viam defluxit decem dierum ſpatio, mox obducta cicatrice ad antiquam penis reverſa eſt. Tali methodo aeger perfectè convaluit procul ab inflammatione, gangraena, & fiſtula. Et lapis ille argento illigatus pendet hodie in ſacello Deiparae ſine labe conceptae apud Fratres Minoritas, utpote non demolitae valetudinis monumentum. *Colligendum* fortaſſe *erit, vires ac momenta Chinae Chinae agentis, & reagentis adverſus fluida tam externa in primis viis, quam interna in canalibus mirum in modum conducere, ut obtineatur ſtatus medius, ſeu aequilibrium mixtionis humorum.* Mazinus de mechanica medicament. diſſert. II.

C A P. V I.

Objectiones contra corticem Peruvianum refelluntur.

ACerrime olim declamarunt in Peruvianum corticem Rocchus Caſati, Joannes Jacobus Chifletius, & Vopiſcus Pemplius; tandem Georgius Erneſtus Stahl, & Juncherus & alii. Attamen Bergerus (ut apud Fridericum Hoffmannum legimus) Chinam Chinae ab iniquis judiciis vindicare ſtuduit, & nos ulterius pro viribus vindicamus. Nec deſunt hodie, qui exiſtiment corticem hunc infarcire & obſtruere glandularum maeandros, veluti Curtius voraginem, in quam conſcenſo equo ſe voluit proiicere, obſtruxit. Et tamen Peruvianus cortex balſamina amaritie praeditus eſt, ut bilis, quae Sylvii triumviratum in duodeno conſtituit. Et quemadmodum aloe, & rhabarbarum obſtruere nullo modo poſſunt, ſic etiam cortex Peruvianus, quem Aloes, & rhabarbari naturam imitatur, nullo modo obſtruere, ſed potius obſtructiones evertere, ac diſſipare poteſt.

Obiiciunt 2., quod cortex Peruvianus recidivas pariat: & quomodo recidivas parere poteſt? Vixit Hippocrates anno Mundi 3537. *Et tunc febres ex recidivis in iiſdem*

circuitibus judicabantur, ut narrat Graecus Pater de morb. Popular. lib. 1. ſect. 1. Aſſignent quaeſo, aſſignent rationem, cur recidivae potius cortici Peruviano, quam ex. gr. nuci cupreſſinae imputandae ſint. Franciſcus Piens multos a tertiana ſe vindicaſſe narrat hauſtu Crollii ℞. ſal. abſinth. drach. ſemis ſpir. ſulph. ſcrup. 1. aq. cichor. unc. III. aut V. In quartanam verò memorat Franciſci Jacobi Cokii ſequentem mixturam ℞. ſal. cent. min. drach. ſemis alum. crud. in ſubtil. pulv. redact. drach. 1. ol. ſulph. per campanam elicit. ſcrup. 1. aq. card. ben. unc. III. Inter febrifuga recenſetur etiam pulvis Richardi Morton ita cogendus in bolos ℞. ſtib. diaph. ſal. abſinth. flor. chamaemel. in ſubtil. pulv. redact. a ſcrup. 1. ſir. flor. tunic. q. s. Non iſta, nec alia, quae reticemus, ſed ſolus Peruvianus cortex recidivas inducit? Praeterea febrem cortex, ut cibus famem extinguit: redit fames latrante ventriculo, ſed cibus, quem aeger aſsumſit, non eſt origo novae famis, ita nec febris a cortice reviviſcit. Quum eſſem Aſculi in Piceno poliater, nobilis Juvenis incidit in tertianam duplicem autumnalem, & ex paluſtri aere pernicioſam. Duo ſtatim remedia propoſui, nempe vinum emeticum ex croco metallorum, & corticem

Pe-

Peruvianum. Patritii adſtantes, ac etiam Patritiae quaedam contra obſtrepebant, noſtramque ſententiam reiicere conabantur. Nullum non movi lapidem, ut plures & cervicoſos unus evincerem. Succeſſit tandem, ut Peruvianum corticem exhiberem: quo iterum iterumque exhibito quartadecima aeger convalvit.

Obiiciunt 3., quod corticis huius pulvere propinato lethargus, aut parotides, aut alii decubitus aliquando contingant. Reſpondeo, iſta ſymptomata contingere, pulvere aut parce aut tarde propinato, & morbi quidem non corticis culpa ſupervenire. Si tu in pelvim aquae plenam tantum ſalis iniicias, quantum abſorberi poſſit, ſal utique non petit fundum: Sic febrile fermentum ubi exiguae molis eſt, abſque ulla ejectione ſenſibili per corticem tollitur. Quum autem ſupra doſim corticis furit, nil mirum ſi adeo infauſta phoenomena ſuperveniant, ob copiam ſcilicet acuti fermenti, non ob eam, quam cortex molitur fermenti diſſipationem. Repete analogiam: non ſal, quod ab aqua abſortum eſt, ſed quod abſorberi non poteſt, fundum petit. Cortex tempeſtive exhibitus, ac generoſe repetitus ita glandulas corroborat, ut nullas niſi conſentaneae figurae par-

ticulas admittant, & ſeparent; hinc ea, quae a ſanguine vi corticis ſeparata ſunt, tacite foras eliminantur. Quod verò ſolida adſtringat & muniat: nemo ibit inficias. ecquis ex turba medentium homini podagra laboranti pediluvia in corticis Peruviani decoctione praeciperet? nemo utique, ſiquid rationis haberet, ne artriticae metaſtaſi impedimento eſſent. Itaque non figit Peruvianus cortex febrile fermentum, ſi figere intelligas veluti ſequeſtro ponere; ſed figit, ſi figere intelligas abſorbere, enervare, retundere: pulvis enim hujus corticis eſt principium ſitiens, ſeu alcali amaroauſterum, quod minimas vel acris, vel acidi ſalis pyramides non occulta qualitate faſcinat, ſed valenter infringit, expellitque. Porro nullas cohibet evacuationes criticas ſive per cutem, ſive per veſicam, ſive per alvum, ſive per aliam quamlibet viam auſpicatas: ſupprimit ſymptomaticas tantum, a febri ſcilicet oriundas, non quod immani vi conſtringendi polleat, ſed quod febrem, a qua illae proveniunt exinguere valeat. Idcirco Romanae Puerperae tertiana duplici pernicioſa laboranti, etſi lochia deficerent, vel parce fluerent, corticem Peruvianum juſta doſi exhibere non dubitavi; quo pluries exhibito evanuit febris, & lochia reverſa ſunt.

Atque

Atque illud aliquando addam; quod memoria dignum eſt ſempiterna. Septennis Puer conſpicuae Matronae filius, aegrotabat tertiana duplici pernicioſa, & cum vermibus complicata; accerſitus ego in conſilium ſtatim propoſui corticem Peruvianum, ut alcali amaro-auſterum & vermes, & febrile fermentum ſimul extingueret. Cecidimus ſpe tam juſta: nam ſemiafer Medicus, canis, rugiſque obſitus ſeſe oppoſuit tanquam artis atleta; tumidus forſan, quia ſtridente curru per Urbem raptatur. At praxis medica non equos ſtrigoſos defatigando, neque in ſilicibus *calceos terendo*; *ſed mentem exercendo comparatur*, inquit Valleſius controv. 8. in praefat. Plura ille adverſus corticem noſtrum temerè effutiit; ſed quas vomuit objectiones, patientiſſimè dilui. Inſtetit mox auctoritate Cornelii Celſi, a quo China Chinae dicitur infarciens & adulator remedium. Tenere me non potui: quid cornicaris inepte? Conſtat, vixiſſe Celſum aut Auguſti, aut Tiberii, aut Claudii Caeſaris tempore: etenim Columella, qui Claudio potiente rerum ſcripſit de re ruſtica, mentionem fecit illius tanquam ſuperioris. Qua aetate, ſi Plinio credimus, pauciſſimi Quiritum artem medicam profitebantur, delegata ea cura ac meditatione

 vel

vel Graecis hominibus, vel libertis, vel ſervis. China Chinae anno Chriſti 1640. pervenit Hiſpaniam a Comite Chincon tunc Prorege Indiarum Occidentalium, & Matriti primum innotuit hercules contra febres, quae frigore incenderent. Dicitur Hiſpanis *palos de calenturas*, ideſt lignum febrium: dicitur gentiana Indica, & communiter cortex Peruvianus. Tulit hunc Romam Cardinalis De Lugo, itaut cortex ſive pulvis Cardinalis de Lugo vocaretur, quem ipſe pauperibus diſtribuebat.

Ecquis tolerare poterit Ramazini cenſuram in Franciſcum Torti, praeſertim ubi imperantis inſtar ſcribit: *Chinae Chinae uſus ſit qualis eſt opii non quod mali cauſam tollat, ſed quia gravia ſymptomata, vigilias contumaces, & virium diſſipationem compeſcit. Opii vi exſpirante recrudeſcit dolor, an altera die repetere fas eſt opium ad prophylaxim? Sicut ergo compoſita ex opio a prudenti Medico non exhibentur in dolore vehementi, niſi pro virium reparatione; ita admittenda eſt China Chinae in febribus praeſertim intervallatis*. Sed iſta ſimilitudo, quam adducit Ramazinus, militare potius contra ipſum videtur. Opium eſt papaveris lacrima, ſeu ſuccus ejuſdem concretus. *Quum univerſus Oriens, & Meridies impune & quo-*

quotidie utatur opio, Joannes Terentius Lynceus dolet, pleroſque mortalium dolore & ſpaſmate interire ob hujus remedii ignorantiam, in notis ad Franciſci Hermandes rerum Mexicanar. novae Hiſpaniae theſaurum. Proſper Alpinus Medic. Aegypt. lib. 1. cap. 1. fatetur, Aegyptios quotidie ſumentes opium nullam inde noxam ſentire, licet doſi ad tres uſque drachmas aucta. Si adſueti opii uſum intermittant, ſyncopen, & alia graviſſima ſymptomata patiuntur, donec iterum opium ſumſerint, aut larga copia vinum Creticum, quod generoſiſſimum eſt, una cum aromatibus potaverint. Huc facit hiſtoria, quam ex Ramuſio Donzellius refert. Turca in captivitatem redactus, quum ſibi raperentur gemmae, & aliae merces, quibus onuſta erat navis, ferre non doluit; ſed quum rapi ſibi opium intueretur, ſe projecit in mare, quaſi amiſſa ulterius vivendi ſpe. Tandem Sydenham gratulabundus animadvertit, *Deum Omnipotentem non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficacius extirpet, humano generi in miſeriarum ſolamen conceſſiſſe, niſi quod ab aliqua papaverum ſpecie deſumitur*. Inter opium autem, & corticem Peruvianum diſcrimen eſt, quod ſcilicet opium peculiari indiget praeparatio-

tio-

tione, ut ſecurius repeti poſſit, donec ſubigatur morbus, & jure quidem optimo Clinicus Londinenſis celeberrimus laudanum ſuum liquidum laudano officinarum ſolido ſi non ob virtutem, ſaltem ob formam commodiorem, majoremque doſis certitudinem anteponit, & praeſertim in variolarum, & dyſſenteriae curatione inſtituenda. Aulicus quidam equeſtris ordinis acuta dyſſenteria correptus fuit, & mihi a clarae memoriae Cardinali Pico commiſſus: quippe paregoricam Sydenhamii tincturam mane & ſero, & etiam ter nycthemeri ſpatio, mirante antiquo Pharmacopola repetebam, donec ſymptomata prorſus evaneſcerent: & ſic inſtanti letho infelicem aegrum eripui.

Fremant licet omnes, inter optima Medicinae inſtrumenta primas tenent cortex Peruvianus, & aquila caeleſtis ſeu ſublimatum dulce, ideſt mercurius dulcis. Porro ſi mercurius cum ſale marino, nitro, & vitriolo ſublimatus, adjecta altera mercurii vivi portione iterum iterumque meteorizetur, omnem acredinem exuit, & pene dulcis efficitur: quum enim mercurii adjecti particulae ſalium ſpiculis adhaereſcunt, eadem craſſiora atque obtuſiora evadunt, & alcali fere metallicum remanet ſyphilicae labis domitor, & ſicut externa ulcera, quae

a Cel-

a Celtico principio derivantur, ſublimatum dulce roſaceo cum melle mixtum tanquam primae intentionis antidotus jugulat: ita etiam interna mala, quae ab eodem principio proficiſcuntur, idem extinguit: nam juxta Hippocratem lib. de loc. in hom. *morbi quicunque ulcera ſunt*. Heiſterus perhibet feliciter ſanatam eſſe amauroſim ſalivatione mercuriali, quae hydrargyroſis graece appellatur. Haec tamen nil prorſus conduceret, ubi pupillae diſcus opacitatem contraxit, nempe ubi lens cryſtallina callo obducta in glaucoma, ſeu cataractam barbare dictam, converſa eſt. Sicut mercurius dulcis ad Celticam luem mille morborum matrem, ita ſe habet Peruvianus cortex ad aeſtum maris rubri, quo vivimus, movemur, & ſumus, nempe ad febrilem tumultum & rarefactionem.

Rurſum ſuccenſo fatali ſtipite vitam
Quae dedit, extinxit fraterni ſanguinis ultrix
Theſtias: & contra ex Americae mittitur oris
Areſcens cortex, cujus vi extinguimus aeſtum
Amnis purpurei, & cordis, vitamque tuemur.
Eſto, quod hirſutas, etſi cubat hircus, ad alas
Thermometrum aptent, febrilis ut inde caloris
Deprendiſſe gradus videantur: tuta medela eſt.

Objiciunt tandem, vanam & ridiculam eſſe opinionem, quod acuta febris Peruviano cortice per clyſterem repetito debellari poſ-

poſſit : etenim injectum remedium non po-teſt ultra colon, nec ad lacteas venas per-tingere ; & niſi ad illas pertingat, corri-gere nequit ſaltem efficaciter fermentum febrile, quodcumque illud ſupponatur, & ubicumque in ipſis etiam inteſtinis delite-ſcens, reſiſtente ſcilicet coli valvula, quam Vinslovus potius *ſphincterem*, ſive *pylorum ilei* appellaret.

Reſponſio in promtu eſt, nam etiam in-fra Bauhini valvulam venae hiant lacteae, etſi rariores. Quippe nullae ex Inteſtino caeco, & initio duodeni; paucae ex recto, & colo; plurimae ex jejuno, & ileo pro-deunt. Venae lacteae, ſeu chyli ductus mul-to ante Gaſparem Aſellium Eraſiſtrato in-notuerunt, qui arterias reputavit. Valvu-lam habent ſemilunatam, qua chylum non reverſurum excipiunt : imò frequentes iis inſunt valvulae, ut ſcilicet tardus chyli mo-tus cautiori mechanice compenſetur. Sunt autem duplicis ordinis vaſcula : prima ex inteſtinis in meſenterii glandulas ; ſecunda ex glandulis meſenterii in Pecqueti ciſter-nam feruntur. Eadem dicta ſunt lymphati-ca meſenterii : quum enim chylo vacant, lympham revehunt. Glandulae meſenterii chylum cribrant, ut purior ille per thora-cicum ductum ad ſubclaviam ſiniſtram ve-

nam

nam aortae ictu, ac pulſatione impellatur. Non raro bini ſunt ductus, qui veluti ſcalae latera tranſverſis tubulis inter ſe communicent, ut ſcilicet uno impedito, per alterum chylus aſcendat. Semita jam patet, qua itur ad ſanguinem.

An clyſteres, ſive an per alvum injecta nutrire poſſunt? contingit aliquando, ut homo omni cibo aut potu defraudetur, vel quia omnino cibum faſtidit & averſatur, vel aſumtum continere nequit, vel vis deglutiendi, vel via, per quam cibus fertur in ventriculum, impedita eſt. De clariſſimo viro Stephano Tuccio Jeſuita, quum jam pene deficeret, narratur: *eò res devenit, ut os diducere nequiret, aut quidquam mandere, & epiglottide ab radice contracta, ne liquoribus quidem infuſis ali poſſet ſine certo ſuffocationis periculo. Ideo ad vitam ejus, quoad fieri poſſet, retinendam, calidorum odore panum, & coctarum carnium, ſpiritus ejus tenuiter recreandi fuerant*. Bene ac ſapienter de alimento dixit Hippocrates. *Quicumque veloci appoſitione indigent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum: quicumque adhuc velociori indigent, per olfactum: quibus autem tardior eſt appoſitio neceſſaria, ſolido alimento utantur*. Siquid igitur pertinacius in gula & viciniis obſtiterit,

rit, *ultimum auxilium eſt, in alvum ptiſanae vel alicae cremorem ex inferioribus partibus indere: ſiquidem id quoque vires tuetur*. Celſus lib. 3. cap. 19. Non aliter ſenſere Oribaſius, Aetius, Rondeletius, atque alii, qui rati ſunt, etiamſi injectionis impetu ad ſuperna inteſtina enema non pervenerit, tamen a latrante ventriculo nutrimentum ſibi gratum, & neceſſarium attrahi, ut refert Sennertus. Quapropter nonnulli medici, qui hodie Nevvtono mancipati ſunt, opinionem hanc amplecti deberent, non gaſtoranacem Dolaei, ſed vim electricam, ſeu attractricem ventriculo donaturi; & quidem clyſteres ex vino, cremore hordei, vitellis ovorum, & jure carnium libentiſſime pararent. Verum nos alimur ſanguine, ſanguis eſt filius chyli, chylus in ventriculo elaboratur, & in duodeno perficitur, ubi ſcilicet *bilis chylo dulcedinem foenerat*, ſicut dixit Wedelius exercitat. 17. Imo tot inteſtinorum ſpirae, & anfractus, & vulgatiſſima valvula violentam injectionem, & vim ſtomachi attractricem eluderent. Concludat denique Sennertus: *interim hoc negare nolim, aliquam refectionem per clyſteres fieri, corporis exiccationem impediri, illudque humectari poſſe, quomodo tabida & extenuata corpora butyro recenti, oleo*

amyg-

amygdalarum dulcium, gallinae adipe, & ſimilibus inunguntur, balneiſque ſimilibus humectantur.

Si verò quis dixerit, a me parum intellectam eſſe Nevvtonianam attractionem, digredi fas eſt, ut melius poſſim illam percipere, ac dedoceri. Recentiſſimus apud Hollandos Philoſophus Petrus Van Muſchenbroeck Nevvtonianam attractionem tuetur, eamque ab occultis Scholaſticorum qualitatibus diſtinguere ac ſeparare contendit, & ita loquitur. *Quotieſcumque diſtantia, & libere poſita corpora ad ſe abque cauſa extrinſecus pellente, aut movente cognita aut in ſenſus incurrente accedere animadvertimus: Vel quoties ſoluta corpora ſolo contactu fortiùs cohaerere, quam ex proprio pondere flueret, ſine cauſa premente externa obſervamus, utrumque phaenomenon attractio vocatur, ejuſque cauſa & vis appellatur vis attrahens. Eſt ſenſus hujus appellationis improprius: nam proprie trahitur corpus ope intermedii funis, lori, aut baculi, quum eſt ligatum. Verum in eo ſenſu utitur voce attractionis, qua ſiquis offendatur, aliam ſubſtituere poteſt, veluti acceſſus mutui, adhaerentiae, amoris mutui, amicitiae &c.* Sed iſta alia quid ſonat? ſympathiam utique ſonat & redolet, & phantaſticam philoſophandi rationem nobis reſtitue-

ſtituere videtur. Quae porro olim antiperiſtaſim, ſympathiam, antipathiam, vacuique metum, & alia hujuſmodi ſcabioſa vocabula in Phyſicam invexerunt, ad naturales machinas, & circumpulſiones ſatis ſuperque revocata ſunt.

Sit pro coronide, nonnulla, quae ad alios peculiares clyſteres pertinent, indicare. Clyſter ex vino generoſo interdum febrem excitavit vehementem, ſed quae cito deſiit, ſi credimus P. Zacchiae de mal. hypochondr. lib. 2. cap. 1. Similis clyſter nonnunquam breve delirium induxit, ut Joannes Rodius ſe obſervaſſe notat in analectis. Et Philippus Salmuth ex drachma opii per ſyphonem injecti ſtertentem hominem refert. Arguet quiſpiam fortaſſe, vim opii non in fluidum nerveum, niſi poſt longum chyli & ſanguinis iter, ſed ſtatim in nervos ipſos agere potuiſſe, quorum extremitas inteſtinis inſerta, & ab opio ſtupefacta, toti nervorum tractui ſtuporem communicarit, ſicut chorda harmonica, ſi altera ejus extremitas in aquam immergatur, laxa redditur tota. Unum ſupereſt, ut ſumma rerum, dicendum. Non diſputatione ac futili garrulitate, ſed longo uſu, atque inconcuſſa obſervatione perficitur medicina. Riſu olim ab Annibale exceptus fuit rhe-

tor

tor ille nomine Phormio, qui quum nunquam in aciem prodiiſſet, neque arma tractaſſet, tamen e cathedra de educendis copiis, de caſtrametandi ratione, deque invadendo hoſte diſſerere non verebatur. Id ex Tullio lib. I. de orat. Lanciſius refert, ubi de ſtudiis medicis diſſerit, monetque, ut Medici non Phormiones diſputando, ſed morbos debellando Annibales fiant.

Ecce jam abſolutae ſunt corticis Peruviani vindiciae, ſeu potius abſoluta eſt, quae tali nomine appellatur, diſſertatio. Ad calcem adjicere fas eſt ſpecimen de cataracta, & pleuriticae ſeu pneumonicae affectionis hiſtoriam, qua cariſſimus Frater meus Franciſcus Odoardus perperam curatus aetatis ſuae flore deceſſit, nec non diſertiſſimam epiſtolam, quam vir eximius, Sanctae Univerſalis Inquiſitionis Conſultor Jo. Antonius Bianchi Minorita de illius interitu ad me ſcripſit, ut doloris mei etſi juſtiſſimi acerbitatem retunderet ac leniret. An fruſtra lugetur extinctus, quippe qui nec amplius ſentire poteſt, nec ullas dolori meo grates unquam referre? Porro amare licet non poſſit amplius, ſat eſt tamen amaviſſe dum poterat. O ſi poſſet iſtic iterum intereſſe nobiſcum, vehementius redamaret. Lacrimae ſunt quaedam doloris tabes, ſeu cri-

 ſis,

ſis, nec verus dolor illo fonte, quo nil citius areſcit, expletur. Fortes eſſe nos docet Seneca adverſus injurias, vulnera, vincula, egeſtatem, ſuadetque etiam contemnere, quod naturae lex eſt, tributum, officiumque mortalium. *Mors quid eſt? aut finis eſt, aut tranſitus: nec deſinere timeo, idem eſt enim, quod non coepiſſe: nec tranſire, quia nuſquam tam anguſtè ero.* Ad Lucilium epiſt. 65. Pars prima dilemmatis Epicurum redolet, qui ſe omnino pecori ſimilem fecit: altera Chriſtiano homine digna eſt, idem eſt enim tranſire, quod organicis his anguſtiis diſſolvi; & ea tunc incipit vita, quae ſola vita nominari debet: nam, dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. Iniquum tamen eſt ac fere intolerabile, immaturo, importunoque obitu praeripi Fratrem, nigra videlicet coma, tempore non ſuo, & medentium potius aut incuria aut inſcitia, quam morbi vi occumbere. Amiſſi Fratris memoria digreſſionem excuſet.

Placet inſuper, ut alia, quae hactenus prodierunt, adnectantur opuſcula, nempe narratio de morbo variolari, quo affecta fuit praenobilis monialis Maria Livia de excellentiſſima Burgheſiorum Familia; & demum

mum Lectio de muſculis, & motu muſculorum. Quae ſane opuſcula non modo intra Urbis ambitum, ditionemque, ſed etiam extra Italiae muros longe, lateque diſperſa ſunt; & iſta nunc ſimul recudi volumus, ut aſſidua, atque indefeſſa tum ſanae, tum laborantis naturae inſpectio atque obſervatio, ſive noſtri ad artis medicae ſacraria perveniendi conatus magis magiſque innoteſcant.